



A. 3.10  
ER. 1...

4051

FROM  
THE LIBRARY  
OF  
SIR WILLIAM OSLER, BART.  
OXFORD

139

Pulse waves, p. 58

Galen's Mnemomie  
part 116

STRUTHIUS (JOSEPHUS) 1510-68.

4051. Sphygmicæ artis iam mille ducentos  
annos perditæ & desideratæ libri v. sm. 8°.  
*Basil., per I. Oporinum, (1555).*

With figures of pulse-waves, &c., and a folding  
table. The preface is dated. The printer's name  
has been deleted on the title-page, which bears the  
mark of ownership of Jo. Ant. Oliua, 1556.

Struthius (Struss or Strous), of Posen, a trans-  
lator of Galen, won fame as a teacher at Padua,  
1535-45, and as a practitioner in his native country.  
See V. Bugiel, 'Un célèbre médecin polonais',  
Paris thesis, 1901 (or the abstract in Brit. M. J.,  
1902, i, p. 1222). [W. O.]

Frances Fortescue

De la vache de la ferme d'Amboise  
au château de Chambord

# Sphygmicæ ar

TIS IAM MILLE DUCEN-  
tos annos perditæ & desidera-  
tæ Libri V.

A JOSEPHO STRVTHIO  
Posnaniense Medico recens  
conscripti.

go: Antij olima Targij  
Art. ac medicinae Doc.  
M. D. L. V.

Cum Cæs. Maiest. priuilegio ad  
decennium.

BASILEÆ, PER IOHANNEM  
~~enepianum~~

卷之三



JOSEPHUS STRU<sup>S</sup>  
THIVS POSNANIENSIS,  
Scholæ Philosophorum & Medico-  
rum Patauinae, S.



V A' M pulchre  
hac tēpestate ex-  
colatur ars medi-  
ca, cuiuis uel me-  
diocriter docto  
perspectū esse potest. Sed quic-  
quid illi post barbariem uetera-  
nam, & sophísticas opiniones,  
ob meliorem culturā frugis ac-  
cessit, id totum uobis debetur:  
quibus Deus tot nationum in-  
genia erudiendi, expoliendi q̄  
facultatem concessit. Vos Ana-  
tomicen, uos Botanicē, artes iā  
diū sepultas, in lucem nūc reuo-  
castis: iam uero & Sphygmicē,  
quam ex Latinis scriptoribus,

hucusq; quod ego sciam adtigit  
nemo, uobis rediuiuam adfero  
& dedico. Nā qui olim isthic a-  
pud uos erā discipulus primū,  
postea præceptor, si quid doce-  
re possum, quod antea non do-  
cui, uolo ut sub nomine uestro  
(quemadmodū & priores meæ  
lucubrations) prodeat in pu-  
blicum; quorum autoritate ma-  
ieuoli, negligentes sua, carpētes  
aliena, facile deterrebūtur. Va-  
lete. Posnaniæ, ex ædib. nostris,  
quarto nonas Martias, an-  
no salutis nostræ

1555.

Elen-

ELENCHVS CAPITVM,  
in quo prior numerus caput, al-  
ter paginam significat.

Libri primi capita.

Artis Sphygmice præstantia, definitio,  
partes, authores, utilitas, methodus.

Cap. 1.

Pag. 1

Quæ sit uera pulsus definitio, ac eius in-  
terpretatio

2. 4

Pulsus prima diuisio in simplices, cōposi-  
tos, & eorū relatioēs: simpliciū deinde  
in quinq; prima genera & species 3. 7

Compositi pulsus qui sint 4. 8

Sint ne plures, quam quindecim pulsū

simplicium differentiæ

5. 9

Sint ne plures, quam decemseptē in ta-  
bula descriptæ pulsuū compositorum  
differentiæ

6. 10

Aequalitatis & inæqualitatis prima  
diuisio

7. 12

De ordine & ordinis perturbatiōe. 8. 12

a 3 De

De rhytmis ex veterū sentētia.	9. 14
De rhytmis Galenicis.	10. 24
De differentijs inæqualitatis	11. 28
De quorundam erroribus circa inæqua litatem systematicam	12. 30
De inæqualitate singulari: id est, in uno pulsu	13. 33
De Galeni, Auicennæ, Pauli Aegine- tæ, Auerrois, circa dicrotos pulsus er- roribus	14. 41
De inæqualitate unius pulsus, sed in plu- ribus partibus arteriæ	15. 46
De inæqualitate pulsus in reliquis gene- ribus	16. 48
De inæqualitate in situ arteriæ.	17. 50
De complicatis inæqualitatibus.	18. 51
De undoso et uermiculāte pulsu.	19. 52
De formicante pulsu	20. 53
De caprizante pulsu	21. 55
De serrante pulsu	22. 55
De spastoso & fibrato pulsu	23. 56
De	

<i>De tremete &amp; palpitare pulsu.</i>	24. 58
<i>De hectico pulsu</i>	25. 59
<i>De strepente pulsu</i>	26. 60
<i>De differentijs pulsuum à Galeno ex-</i>	
<i>cogitatis, quas ueteres obmiserunt.</i>	
27. 61	

Libri secundi capita.

*Cognitio pulsuum quare difficilis. Cap.*

1. 70

*De quatuor artis Diagnosticæ pulsuum  
principijs*

2. 73

*De applicatione manus ad pulsū.*

3. 80

*De primis medici in dignoscendis pulsi-  
bus progymnasmatis*

4. 83

*Primi generis pulsuum differentiæ quo-  
modo cognoscantur*

5. 89

*Secundi generis pulsuum differentiæ quo-  
modo cognoscantur*

6. 96

*Tertiij generis pulsuum differentiæ quo-  
modo cognoscantur*

7. 101

- Quarti generis pulsuum differentiae quo-  
modo cognoscantur 8. 105
- Quinti generis pulsuum differentiae quo-  
modo cognoscantur 9. 108
- Plenus, uacuus, tenuis, grossus, grauis,  
leuis, calidus & frigidus pulsus, num  
cognoscantur. 10. III
- De compositorum pulsuum cognitio-  
ne II. II4
- De rhythmorum in pulsibus cognitio-  
ne 12. II9
- De inaequalitate, & ordinis perturba-  
tione cognoscenda 13. I2I
- Libri tertij capita.
- Causæ pulsuum diuiduntur, & earum  
proprietates recensentur 1. 127
- Quæ causæ proprios pulsus habent, quæ  
familiares: & qui sint proprij, qui fa-  
miliares pulsus 2. 130
- Durum causarum à mediocritate re-  
cessus, facultatis scilicet & usus,  
quos

- quos faciat pulsus 3. 132  
Usus & instrumenti à natura recessus,  
quos generet pulsus 4. 135  
Facultatis & instrumenti à mediocri-  
tate recessus, quos faciat pulsus. 5. 138  
Trium causarum synecticarum diuersæ  
connexiones, quos faciat pulsus. 6. 141  
De quorundam pulsuim simpliciū cau-  
sis synecticis & concausis 7. 147  
De causis rhythmorum synecticis. 8. 151  
Systematica inæqualitatis quæ causæ  
sint 9. 153  
Intermittentium singularium quæ cau-  
sæ sint 10. 161  
Imparium citatorum quæ causæ sint.  
11. 163  
Dicrotorum pulsuim quæ causæ sint.  
12. 166  
Inæqualitatis singularis in diuersis par-  
tibus arteriæ quæ causæ sint. 13. 172  
Myurorum singularium, eminulorum

et pminolorū quæ causæ sint.	14.	176
Inæqualitatis in situ arteriæ, ordinis & ataxiæ, quæ causæ sint	15.	178
Undosorum, uermiculantium, & for- micantium causæ	16.	179
Caprizantis causæ	17.	182
Serrantis pulsus causæ	18.	182
Conuulsui & uibrati causæ	19.	183
Palpitantis & tremētis causæ.	20.	185
Hectici & strepentis causæ	21.	188

Libri quarti capita.

Diuersi sexus quales sint pulsus.	1.	189
Temperamenta calida quos faciat pulsus.		
2.192	(sus	3.193
Temperamenta sicca quos faciant pul-		
Aetates quos faciant pulsus	4.	196
Tempora anni & regiones quos faciant		
pulsus	5.	200
Somnus quos faciat pulsus	6.	204
Expergescientium quales sint pulsus.		
7.208		

Ex-

<i>Exercitationis pulsus</i>	8. 210
<i>Balneorum calidorum pulsus.</i>	19. 212
<i>Balneorum frigidorum pulsus</i>	10. 213
<i>Cibi &amp; indigentiae quales pulsus.</i>	11. 214
<i>Vini &amp; ceruisiae pulsus</i>	12. 217
<i>Perturbationes animi quos faciant pulsus</i>	13. 219
<i>Amoris pulsus qualis.</i>	14. 222 (15. 225)
<i>Venereorum et euacuationum pulsus.</i>	
<i>De causis contra naturam</i>	16. 226
<i>Effluxionum pulsus</i>	17. 228
<i>Doloris pulsus</i>	18. 229
<i>Inflammationis pulsus</i>	19. 230
<i>Pleuritidis pulsus</i>	20. 232
<i>Empyematis pulsus.</i>	21. 234 (236)
<i>Mara/morum &amp; phthisis pulsus.</i>	22.
<i>Peripneumonicorum pulsus</i>	23. 241
<i>Lethargicorum pulsus</i>	24. 243
<i>Phreneticorum pulsus</i>	25. 247
<i>Phrenitidis lethargicae pulsus.</i>	26. 251
<i>Catalepticorum pulsus</i>	27. 252
	<i>Conclus-</i>

<i>Convulsorum pulsus</i>	28. 252
<i>Paralyticorum, epilepticorum, apoplecti-</i> <i>corum pulsus</i>	29. 254
<i>Anginae pulsus</i>	30. 256
<i>Orthopnææ pulsus</i>	31. 259
<i>Suffocationis uteri pulsus</i>	32. 262
<i>Stomachicorum pulsus</i>	33. 263
<i>Hydropicorum pulsus</i>	34. 267
<i>Gallici morbi pulsus</i>	35. 270
<i>Ictericorum pulsus</i>	36. 274
<i>Eorum qui medicamentum cathartici-</i> <i>cum assumperunt pulsus</i>	37. 275
<i>Pregnantium pulsus</i>	38. 277

Libri quinti capita.

<i>Prognosis quid sit, et prognostica, et qua-</i> <i>lis eorum doctrina</i>	Cap. 1. 279
<i>Primi generis pulsuum differentiæ quid</i> <i>significant</i>	2. 281
<i>Secundi generis pulsuum differentiæ quid</i> <i>significant</i>	3. 286
<i>Tertiij generis pulsuum differentiæ quid</i> <i>signi-</i>	

Significant	4. 289
Quarti generis pulsuum differētiæ quid Significant	5. 293
Quinti generis differentiæ quid signifi- cent, & omnium generum extremita- tes quonodo sint aestimandæ. 6. 297	
Rhythmorum differentiæ quid signifi- cent	7. 300
Inæqualitates Systematicæ quid signi- ficient	8. 304
Inæqualitates singulares quid signifi- cent	9. 312
Ordo & ataxia quid significet.	10. 313
Pulsus complicatæ inæqualitatis qui no- mina habent propria, quid significant	
11. 317	
Corde affecto qui fiant pulsus.	12. 322
In febribus qui sint pulsus	13. 328
Partes aliae corporis præter cor, affectæ quos faciant pulsus	14. 340
De crisiū ex pulsib. cognitiōe.	15. 348
	116-

*Iudicium de salute & morte agrori.*


16. 352

*Arcana hominum quomodo pulsibus  
detegeuntur*

17. 365

*FINIS.*





S P H Y G M I C A E  
ARTIS LIBER PRIMVS, IO-  
sepho Struthio Posnanien.  
se authore.

Artis Sphygmicæ præstantia, definitio, par-  
tes, authores, utilitas, methodus.

Caput primum.



Hilosophiæ pars est præstantissi-  
ma, quæ solis naturam, efficaciam  
& motum considerat: ei uero non  
est dissimilis, quam nos daturi su-  
mus, quæ naturam cordis, uim &  
motum complectitur. Præcipua  
enim sunt membra, sol quidem mundi maioris, cor  
uero minoris mundi ( ut uerbo utar Aristotelis )  
nempe hominis. utruncq; sanè admirabile, & nobis  
lissimum artis subiectum. sed quanto nos magis cer-  
ti fieri possumus de ijs quæ in nobis ipsis gerimus  
& experimur, quam de ijs quæ supra nos sunt: tan-  
to ars Sphygmica, præsterior erit Physica, quæ cœ-  
lestia scrutatur.

Sphygmon Græci pulsum uocant, inde nomen  
datum est arti Sphygmica, id est, si Latinè licet di-  
cere, Pulsaria, quæ uersatur circa motum cordis  
& arteriarum. cuius quatuor sunt partes, de quib.  
Medici quamplurimi ne somniarunt quidem. Phy

b siolo-

2 Sphygmicæ artis

stilogica, in qua genera omnia pulsuum, & omnes differetie ordine recensentur, quā nos primo libro tradituri sumus. Diagnostica, quæ instituit, quo ingenio & industria singuli pulsus sunt cognoscendi & discernendi: quam nos libro secundo prosequemur. Aetiologica, quæ causas singulorū pulsuū rimatur & examinat, quā nos tertio & quarto libro complectemur. Prognostica, quæ hominū euentus præ sagire ex pulsibus docet, quam nos libro quinto conscribemus.

Habuit olim ars Sphygmica celeberrimos & peritisssimos autores, qui multos de ea libros cōscripserant, & posteris reliquerant, Asclepiadē, Atheneū, Erasistratū, Magnū, Archigenē, Agathinum, Heraclidē Erythræū, Chrysermū, Zenonē, Aristoxenē, Bacchiū, Heraclidē Tarētinū, Alexādrū Philalethem, Demosthenē Philalethē, Herophilū, ultimū omniū Galenū, Archigenis & Herophili cōmentatore. Sed hi omnes partim iniuria temporū, partim incēdio tēpli Pacis Romæ, in cuius uicu, bibliothecæ optimis quibusq; librīs refertæ, simul universæ cōflagraruū, nobis sunt adēpti. Restant libri de Pulsib. Galeni, nō adeò exigui, sed inextricabiles: quos nemo unq; Latinos intelliget, etiā si q; se ad insaniā usq; in eis exerceat: & Græcos nō facile. sunt enim plurib. in locis mutili et deprauati, ac ea spe à Galeno cōscripti, quod uix unus ē mille

(ut

## Liber primus.

3

Cut ipsem est testatur Galenus eos sit intellecturus.  
Tolerabilis utcunq; fuisset iactura horū quos recē  
suimus scriptorū, si restarent octo libri commenta-  
riorū Galeni super artem Sphygmicā Archigenis,  
commentarij super Erasistratū, commentarij super He-  
rophilū, quos ipse diligenter se cōscriptissime aliquot  
in locis meminit. Sed dum ne fragmēta quidē horū  
supersunt, non facile est uni homini artē Sphygmi-  
cam denuō restaurare. Ego quæ iā à uiginti annis,  
ab eo usque tempore, quo artem medicam Patauij  
stipendio senatus Veneti, publicē sum professus,  
moliri cœpi et exstruere (quorum prima lineamen-  
ta fortassis adhuc habent illi discipuli, qui à nobis  
tum dictantibus ea exceperant) libens studiosis  
profero, ut saltē delicioribus ingenijs ansam præ-  
beam, adgrediendi & prosequendi sublimiora hu-  
ius artis opera.

Quām uero hæc ars sit utilis, & honorifica,  
uel inde coniicias, quod Galenus nulla alia philo-  
sophiae parte tantum inclarerit, & tam celebre  
nomen sit consecutus apud senatores Romanos, &  
imperatores, quām Sphygmica: id quod fatetur iā  
ipse, scribens ad Posthumum. Iam si mihi de me  
ipso, citra notam arrogantiæ loqui licet, quid-  
quid ego authoritatis apud populares meos, &  
exteras nationes, quicquid inuidiæ apud æmulos,  
quidquid opum & diuinitiarum (quibus me abun-

b 2 dare,

## Sphygmicæ artis

dare, ne Dei beneficio ingratus esse videar, inficiari nolo ) sum adeptus, id totum diuinæ benignitati & arti Sphygmicæ acceptum refero.

Quamvis uero uisum est quibusdam traditionē artis Sphygmicæ alia adgredieādam esse uia, quam ab ipsa rei, quam tractaturi sumus, definitione, eo quod prima fronte videatur esse obscurior & perplexa: tamen nos uetustissimorū cuiusvis professionis scriptorum exemplo adducti, non possumus nobis persuadere, aliam esse artium tradendarū meliorem methodum, quam quæ rerum definitionē, genera, differentias, causas & effectus inuestigat: & quæ à certis principijs exorsa, continente, perpetuoq; quodā filo, omnia deducit firmis rationibus. hāc nos imitabimur, nec ab ea nos diuelli sinemus.

QVAE SIT VERA PVLSVS DEFINITIO, ac eius interpretatio.

Cap. 2.

**Q**uam negligenter medici & philosophi à mille & amplius annis, pulsuum negotiū tractarint, liquet uel ex ipsa pulsus definitione, quam diuersi diuerte conscriperūt: imperfectè omnes, inepte etiam nonnulli, ne dicam ridicule. Præstabat autem, ueterem Græcorum definitionem surpassè, quæ est omnium artificiosissima, quam hic ad uerbum referre libet: σφυγμὸς ἐνέργεια ἐστὶ οὐδὲ πρώτως μετά τῆς παρθίας, οὐδὲ τέλος αὐτῆς.

## Liber primus.

αρτηριῶν, πατεῖαιαί μετολύρησι συστολήρησινδιέ-  
νωμ, ὑπὸ λατινῆς θυντέμεως, ἐνεπάγει φυλάττειον  
μεν τὸν συμμετέσθιαν τῆς ἐμφύτευθεμαστίας, γεν-  
νᾶσθαι δὲ τὴν ἐγκεφάλων πνοῦν μα ψυχὴν. Id est,  
Pulsus est actio propria, primum cordis, secundò  
arteriarum, quæ distensione & contractione mo-  
uentur, à facultate vitali, tum propter conserua-  
tionem temperie caloris innati, tum propter gene-  
rationem spiritus animalis in cerebro. Continet  
autem hæc definitio iuxta præcepta Dialectices, ge-  
nus & differentiam genus quidem, dum dicitur a-  
ctio: nihil autem refert, siue dicas actionem, motio-  
nem, motum. Loco differentia est, quod in defini-  
tione deinceps sequitur, Propria cordis & arteria-  
rum, quæ distensione & contractione mouentur.  
Sunt enim aliæ actiones in corde et arterijs, ut ad-  
tractio alimenti, retentio, assimilatio, expulsio: sed  
hæc communes sunt & alijs membris. At motus ex  
Systole & diastole, id est, ex distensione & cōtra-  
ctione constans, cordi & arterijs tantum est pro-  
prius. Ut autem tanto melius ex definitione inno-  
tescat pulsus, exprimuntur in ea cause ipsius, tres  
scilicet efficientes, & due finales. Earum enim re-  
rum quæ in generatione posita sunt, qualis est pul-  
sus, & cæteri motus, qui tum sunt, dum fiunt, defi-  
nitio causas complectens optima est. Prima effi-  
cies, quæ est principalis effectrix, est facultas, cor-

## Sphygmice artis

di insita, quam uitalem uocamus. Secunda efficiens, sed instrumentalis, cor sūlicet. Tertia efficiēs, etiam instrumentalis, arterie: ijs enim duobus instrumentis, corde uidelicet & arterijs, distensionem & contractionem facultas uitalis conficit. Non abs re autem additur in definitione, Primo cordis, secundō arteriarum. cordi enim & arterijs facultas, seu uirtus uitalis non eodem molo inest: sed cordi quidem ingenita est, & insita: arterijs autem ingenita non est, sed promanat in tunicas earum à corde, quo modo lux soli & radijs nescit. Proinde in definitione dicitur, Primo cordis, secundō arteriarum. Adduntur deinde dñe causæ finales. una est, ut ignis, seu calor naturalis, qui inititur alia elementa in mixto corpore superare, & in se transmittare, ut est omnium efficacissimus, ad miniculō frigidioris aeris, distensione cordis et arteriarum attracti remittatur & adtempiretur, ac cōtinua sufflatione seu uentilatione instar flammæ in foco excitetur: cōtractione uero ab excrementijs uaporibus expurgetur. altera, ut ex eodem aere attracto, utpote ex materia apta, simili, lucida, generetur spiritus in cerebro. Tres igitur sunt specie utilitates, seu usus diastoles: refrigeratio, q̄ est omniū maximus: uentilatio, qui est nonita magnus: & adtraetio aeris, ad generandos spiritus. Systoles unita est utilitas, expurgatio scilicet.

Pulsus

Libe: primus.

7

PVLSVS PRIMA DIVISIO IN SIM  
plices, compositos, & eorum relationes. Simpli-  
plicium deinde in quinque prima genera &  
species. Cap. 3.

**S**Vnt autem pulsus alij simplices, alijs cōpositi,  
aliae sunt pulsuum relationes. Relationes au-  
tem intelligo, dū pulsus alij ad alios, uel partes co-  
rum ad alias partes r̄feruntur. Simplicium autē  
genera prima sunt quinque: Quantitas distensio-  
nis, qualitas motus, quantitas tēporis quietis, qua-  
litas uirtutis, qualitas arteriæ.

Quantitatis auten distensionis species sunt:  
pulsus magnus, mediocris, parvus: qualitatis motus  
sunt, celer, mediocris, tardus: temporis quietis sunt,  
creber, mediocris, raru. Qualitatis uirtutis sunt,  
uehemens, mediocris, languardus. Qualitatis arte-  
riæ sunt, mollis, mediocris, durus. Pulsuum igitur  
simplicium species seu differentiae, quas diximus,  
sunt quindecim, singulis quinque generibus in ter-  
nas species dissectis. Quemadmodum autem sim-  
plicia corpora prima, quæ elementa vocantur: ita  
& simplices pulsus solis seorsim nusquam repe-  
ties, sed in compositis cognoscet. Arteriam enim  
se ad tollentem, semper prædicta quinq; ge-  
nera simul comitantur, ratione au-  
tem singulatim distinc-  
guuntur.

b 4

Compon-

Sphygmicæ artis  
COMPOSITI PVL S V S Q VI  
sint. Cap. 4.

**C**ompositi autē pulsus sunt, qui ex simplicibus constant, quorum plurimæ sunt differentiae: singulæ tamen ex quinque speciebus simplicibus componuntur, quarum aliquot exempla hic proponemus in tabula.

1	Magnus	Celer	Creber	Vehemens	Mollis
2	Mediocris	Mediocris	Mediocris	Mediocris	Mediocris
3	Paruus	Tardus	Rarus	Debilis	Durus
4	Magnus	Mediocris	Mediocris	Mediocris	Mediocris
5	Magnus	Tardus	Rarus	Debilis	Durus
6	Mediocris	Mediocris	Mediocris	Vehemens	Mediocris
7	Mediocris	Celer	Creber	Vehemens	Mollis
8	Mediocris	Tardus	Rarus	Debilis	Durus
9	Paruus	Celer	Creber	Vehemens	Mollis
10	Paruus	Mediocris	Mediocris	Mediocris	Mediocris
11	Magnus	Celer	Mediocris	Mediocris	Mediocris
12	Magnus	Celer	Rarus	Debilis	Durus
13	Mediocris	Mediocris	Creber	Vehemens	Mollis
14	Mediocris	Mediocris	Rarus	Debilis	Durus
15	Paruus	Tardus	Creber	Vehemens	Mollis
16	Paruus	Tardus	Mediocris	Mediocris	Mediocris
17	Mediocris	Mediocris	Mediocris	Debilis	Durus

Relatio=

## Liber primus.

9

Relationes pulsuum sunt, ordo, & ataxia (id est ordinis perturbatio) rhythmus, & equalitas & inæqualitas: de quibus latius infrà dicemus. quæ propteræ Relationes usitato uocabulo uocantur, quoniam sunt de numero eorū quæ ad aliqd dicuntur.

SVNT' NE PLVRES QVAM QVIN  
decim pulsuum simplicium differen-  
tiæ Cap. 5.

Sunt quidem re ipsa plures pulsus simplices, quam quindecim, quos iam recensuimus. Sed quidam ex ipsis sunt medico inutiles; quidam utiles quidem essent, sed ab homine tactu cognosci non possunt. alij uero sunt, qui cognoscuntur à medico, & utiles illi sunt; sed ad priores reducuntur, & cōprehenduntur in illis. Inutiles sunt pulsus, quos frigidos & calidos uocat. nihil enim ex ijs cognoscitur, quod scire referret, nec ijs medici ad prognostica utuntur commode. Qui autem tactu sunt imperceptibles, sunt: plenus, uacuus, grauis, lenis, grossus secundū tunicam arteriæ, & tenuis, de quibus libro secundo latius dicetur. Qui autem utiles sunt, & perceptibles, sed ad priores reducuntur, sunt, longus, latus, altus: & ijs contrarij, breuis, angustus, humili. Priores enim tres constituunt magnum, posteriores tres constituant paruum. quæ propter omnes in paruo & magno comprehendantur. Sunt enim tres cuiuslibet corporis dimensiones,

b s siones,

10 Sphygmicæ artis

siones, ita et arteriæ: lōgitudo, latitudo et profunditas. quare si pulsum reperias, lōgitudine excellere mediocritatem, appellabis longū: si latitudine, latū: si profunditate, altū: si uero ijs omnib. mediocritatē excellat, appellabis magnum. Medici uero peculia riter vocant gracile pulsum, in quo lōgitudo duab. reliquis dimensionib. præstat: in quo autē duea re lique longitudinem excellunt, tumidum nominat, aut turgidum. Contrarios uero secundum diminutionem cuiuslibet dimensionis appellabis, breuem, si decedat longitudine infra mediocritatem: angustū, si decedat latitudo: humilem, si decedat altitudo. Quod si omnibus tribus dimensionibus pulsus sit diminutus, appellabis paruum.

Hoc uero silentio prætereundum non est, pulsum magnum et paruum, si conferas ad compositos, simplices dici meritò, quoniam ex quinq; spæcieb. non cōponuntur. Si uero magnū uel paruum conferas cum simplicibus, compositos posse uocari: quoniam in se aliquot simpliciores comprehendunt, sed omnes unius et eiusdem generis, scilicet quantitat̄ distensionis.

SUNT NE PLURES QVAM DECIMSEPTEM in tabula descriptæ pulsuum compositorum differentiæ? Cap. 6.

**S**unt et pulsuum compositorum plures dif ferentiæ quam haec, quas in tabula conscripsimus decem-

## Liber primus.

ii

decem septem. Varia enim est, et diuersa compositionis  
torum pulsuum connexio, iuxta diuersas et uarias  
simplicium complicationes. Nos eas tantum recente-  
simus, quae communiores et notiores sunt. ex his  
enim facile est reliquias colligere, eo modo quem  
libro secundo ostendemus. Non omnes tamen differ-  
entiæ simplicium paſsim cum quibusuis in com-  
positionem uenire possunt. sunt enim quædam com-  
positiones aſtatae, id est, quæ consistere non pos-  
sunt: ut magnus et durus, qui rariſſime connectur.  
maximus autem et duriſſimus nunquam: cu-  
ius causam disces, ubi de causis pulsuum agemus.  
pulchrè autem dicunt Græci, & τῶοι πᾶσαι διαφο-  
ρᾶς μή γενοῦσαι διεργάται; id est, non omnes omnibus  
differentijs misceri possunt. Sed hæc de causis  
pulsuum ſpeculationi attinent.

Cæterum pulsus in tabula compositorum, or-  
dine sextus, propriam habet appellationem: uoca-  
tur enim quadratus, seu eucratos, eo quod in qua-  
drato corpore, id est temperatissimo, et optimæ  
constitutionis reperiatur. Est uero hic pulsus nor-  
ma et regula aliorum omnium: sicut et corpus  
ipsum, quod est optime constitutionis, est mensura  
aliorum omnium corporum apud medicos. Ad id  
enim reliqua omnia corpora collata, diuersas for-  
tiuntur supra uel infra mediocritatem  
appellationes.

Aequa-

12 Sphygmicæ artis

AEQVALITATIS ET IN AEQVA-  
litatis prima diuisio. Cap. 7.

**R**Elationes pulsuum illæ sunt, quas superius  
expressimus: de quarum numero est æquali-  
tas et inæqualitas, que aut simpliciter seu absolute  
dicuntur, aut certi alicuius generis. Aequales abso-  
lute seu simpliciter pulsus sunt, qui neq; magnitu-  
dinem, neq; celeritatem, neq; crebritatem, neq; uc-  
hementiam, neq; molliitatem immutarunt, sed perse-  
uerantes sunt in ijs. Illi uero, qui ijs omnibus immu-  
tati sunt, & diuersi à prioribus, non perseverantes  
in pristino suo statu, inæquales absolute, seu sim-  
pliciter dicuntur. Qui uero non ijs omnibus simul,  
sed aliquo ex ijs, uno uel duobus, uel tribus generi-  
bus uariantur & immutantur, cum nomine eius-  
dem generis, inæquales nuncupantur: uerbi gratia,  
magnitudine inæqualis, celeritate inæqualis, uel in  
alio quoquis genere. Vtramq; harum inæqualita-  
tum, & hanc que est certi alicuius generis, & il-  
lam que absoluta dicitur, in duas primū parti-  
mū differentias: in singularem scilicet, & syste-  
maticam. de quibus statim agemus, dummodo pri-  
us ordinem, ordinis perturbationem, & rhythmos  
absoluferimus: hoc enim rerum series postulat.

DE ORDINE, ET ORDINIS

**P**ulsibus æqualibus semper est ordo adiunctus:  
inæqua-

## Liber primus.

13

inæquales uero alij sunt ordinati, alij inordinati.  
Ordinati sunt, qui in multis pulsationibus suam di-  
uersitatem obseruant: inordinati sunt, qui non ser-  
uat diuersitatem suam. Diuersitas uero est uel ma-  
gnitudinis, uel celeritatis, uel crebritatis, uel uche-  
mentiae, uel omnium, uel aliquorum ex ijs. Ut uer-  
bi gratia, sint octo pulsus continuò uehementes, no-  
nus sit debilis: si iterum post nonum sequantur o-  
cto uehementes, & nonus iterum debilis, & sic or-  
dine deinceps alij, is pulsus est in uno genere, uehe-  
mentia scilicet inæqualis, sed ordinatus, quoniam  
seruat eandem diuersitatem: post octenos enim pul-  
sus uehementes, sequitur continuò nonus debilis.  
At si hæc diuersitas uarietur, & perturbetur hu-  
iusmodi processus, erit tum quo ad uehementiam  
inæqualis, & inordinatus. Eadem ratione, si pul-  
sus sint undecim magni, duodecimus paruus: &  
iterum undecim magni, duodecimus paruus: ac ter-  
tio undecim ex æquo magni, & duodecimus par-  
uus, erit hic pulsus inæqualis magnitudine, systema-  
matica inæqualitate, sed ordinatus. Quod si con-  
fundatur iste pulsuum progressus, ita ut sint qui-  
dem nonnulli magni, & aliquis inter eos paruus,  
nunc octauus, nunc sextus, nunc quartus: erit hic  
pulsus inæqualis, & inordinatus. Simili modo &  
in cæteris pulsuum differentijs, in quibus omnibus  
simil, si sit inæqualis, non seruata continuò eadem  
diuer-

diuersitate in processu, erit pulsus absolute inordi-  
natus, sicut et absolute inæqualis. Scito autem,  
quod inter omnes pulsus oppositos omnium gene-  
rum, de quibus ante egimus, sunt alij medijs, qui me-  
diocres appellantur: æquali autem et inæquali nul-  
lus est medius, neq; inter ordinatum et inordina-  
tum illus est medius, nisi uelut medium dicere  
cum qui periodis est ordinatus. Est uero huiusmo-  
di pulsus, quando quatuor, exempli gratia, magni-  
tudine continuo impares sint, quatuor alij sequen-  
tes proportione pares prioribus: ita ut quintus  
primo, sextus secundo, septimus tertio, octauus  
quarto respondeat et æquetur. Tales enim pul-  
sus, quatenus ordine continuo destituuntur, inor-  
dinati sunt: quatenus uero periodos similes obser-  
uant, eatenus inordinati periodis dicentur, qui  
medij quodam modo sunt inter ordinatos et in-  
ordinatos.

DE RHYTHMIS EX VE-  
terum sententia. Cap. 9.

**R**hythmus nomen est musicis usitatum, inde  
uerò ad medicos delatum est. Sed Plinius à  
poetis illud deriuatum esse insinuat, quum rhy-  
thmum medicorum metricas leges nuncupat. Si-  
gnificat autem nomen rhythmi, consonantiam, con-  
centum, numerum, concinnitatem, modulum. Et  
hæc quidem est nominis interpretatio. Definitio  
uerò

## Liber primus.

15

uerò rhythmi est, ὁ πυθμὸς λόγος ἐγίνεται τῶν σὐστημάτων τέλος αὐτοῦ : id est, Rhythmus est eorum quae in pulsu sunt temporum ad inuicem proportionis. Proportio uero, autore Euclide, est duarum eiusdem generis quantitatuum, unius ad alteram habitudo. Quum autem tempus sit de genere quantitatis, si conferas quantitatem unius temporis ad quantitatem alterius: ex illa collatione constabit, utra alteram excellat, an uero sint pares. Fuerunt autem de ijs temporum proportionibus, quae ex collatione unius ad alterum nascuntur, tres apud antiquos opiniones. Vna erat eorum, qui contractionem pulsus se percipere posse negabant: altera eorum, qui contractionem sentire didicerat. qui iterum in duas erant dissectas, quas ut melius intelligas, necesse est ut animo perpendas, quantum esse in quolibet pulsu tempora. Primum est tempus dyastoles, id est, tempus quo distenditur arteria. quilibet enim motus fit in tempore, uerò Aristoteles. Secundum est tempus systoles, id est, quo contrahitur arteria. Tertium est tempus quietis superae. Quartum tempus quietis inferae. Superam quietem uoco, quae est post distensionem, antequam incipiat contractio. necesse est enim, inter duos motus contrarios, unius corporis quietem esse medium, ut perhibent philosophi. Infra autem quies est post contractionem,

ante

antequam incipiat distensio. Prime igitur opinio-  
nis secta, quæ contractionem sentire nesciebat, con-  
ferebat tempus diastoles, cum tempore interualli,  
quod diastole, uocabant. erat autem interual-  
lum, tempus post distensionem omnē, quod com-  
prehendit in se tempus quietis superæ, tempus con-  
tractionis, & tempus quietis inferæ. Proportio igi-  
tur temporis diastoles, ad reliqua tria tempora,  
quæ illi uno uocabulo interuallum uocabant, secun-  
dum hosce rhythmus erat. Secundæ opinionis erat  
secta eorum, qui contractionem percipiebant (fal-  
sum enim est, quod quidam existimant, Galenum  
primum omnium contractionem sentire didicisse)  
iij conferebant tempus diastoles cum tempore sy-  
stoles: & iuxta istos rhythmus erat, proportio tē-  
poris motus distensionis, ad tempus motus contra-  
ctionis. Tertiæ opinionis secta erat, eorum qui eti-  
am contractionem prædicabant: sed conferebant  
tempus diastoles, cum tempore systoles, adiuncto  
utriq; motui tempore quietis, quæ ipsum sequitur,  
ita ut quies supera simul cum tempore distensi-  
onis, pars fuerit una in collatione: quies uero infe-  
ra, cum tempore contractionis, pars altera. Nec est  
quòd te Paulus Aegineta retrahat ab hac nostra, de  
ueterum opinionibus assertione, scribit enim ille di-  
uersum quiddam: sed hoc quod scribit, aut fingit  
potius, commentum est ipsius, nusquam apud uete-  
res

# Liber primus.

17

res scriptores repertum, immò longè discrepat à  
scriptis antiquorum.

Celebriores autem erant præ ceteris ij, qui à se-  
cunda secta stabant, qui proportionem temporis  
diastoles ad tempus systoles, rhythmum esse cense-  
bant: cuius duas primas faciebant differētias: Nam  
secundum hos rhythmus est, alter qui pari pro-  
portione constat, alter qui impari. Pari, quando  
tempus distensionis æquale est tempori contractio-  
nis: impari, quando alterum excedit alterum: hic  
uocatur rhythmus in æqualis, ille uero æqualis: cuius  
est magna latitudo, quemadmodum & sanitatis,  
cuius est socia. Rhythmi æqualitas, latitudo ma-  
gna est. Nam ut inter homines alijs sunt calidi, alijs  
frigi, siccii, humidi, frigi siccii, frigi humidi, ca-  
lidi siccii, calidi humidi, alijs tēperati, alijs pueri, alijs  
iuuenes, alijs senes, & ij omnes sani, si ad intempe-  
riem non sint delapsi: ita inter rhythmos pulsuum  
æquales, qui sanis hominibus competit, alijs sunt  
breuium temporum, alijs longorum, alijs minus lon-  
gorum, alijs plus, alijs plurimum: omnes tamen æ-  
quales, quoniam neutrum tempus alterum excedit.  
Quemadmodum si quis Musicorum tempus  $\boxed{\text{B}}$   
in arsi, seu eleuatione, comparet alteri  $\boxed{\text{A}}$  (quas  
illi notas longas uocant) in thesi, seu  $\boxed{\text{C}}$  pos-  
tione, erit proportio æqualis: ita si conferas  $\boxed{\text{B}}$   
alteri  $\boxed{\text{A}}$ , quas illi breues appellant, erit item

c propors

## 18. Sphygmicæ artis

proportio æqualis. Et si  $\int$  alteri  $\int$  conferas, quas Musici semibreues inuncupant, erit  $\int$  itē proportio æqualis. atq; si  $\int$  conferas alteri  $\int$ , quas illi minimas cognominant, etiam erit æqualis. minime tamen à semibreuibus, & breuibus, & longis, diuersæ sunt quantitate tēporis. magnum enim est tempus longarū, sed minus breuum, adhuc minus semibreuum, ac minimarum adhuc minus.

Ac consentaneum fuerit, si puerorum distensionis tempus compares uni minime in elevatione, contractionis alteri minime in positione: iuuenum distensionis tempus uni semibreui, contractionis alteri: constituta ætatis hominū distensionis tempus uni breui, cōtractionis alteri: senum distensionis tēpus uni longæ, contractionis alteri. quamuis senum rhythmi proximè accedat ad inæqualitatē quanto enim quisq; est senior, tanto contractionē habet longioris tēporis, et minorē distēstone, id quod ex lib. quinto intelliges. Varia est igitur æqualitas rhythmi in pulsu, secundū uaria temperamēta, sexus, ætates, partes anni, regiōes. Nec secus apud poetas, si cōferas — in priore parte pedis, alteri — (quæ illi tempora longa uocant) in posteriore parte pedis, ut sit in spondæo, esset proportio æqualis. Si itē — in priori parte pedis, alteri — (quæ apud poetas brevia habentur tempora) in posteriore parte pedis, ut sit in pyrrichio, erit itidē æqualis. spondæi ta-

men

# Liber primus.

19

men, et pyrrichij, non erit eiusdem quantitatis aequa  
litas: quoniam spondaei longorum temporum, pyr  
richij uero breuium est proportio. Ita puerorum,  
quorum exigua sunt contractionis & distensionis  
tempora: iuuenum, quorum sunt maiora: et senum,  
quorum sunt maxima, aequales sunt rhythmi pro  
portiones, sed diuersae temporum quantitates.

Quod si temperamentū sexus, uel etas, rhythmi  
proportionem suam seruauerint, eurhythmu hęc  
pulsum habere dicetur: quasi dicas, bonū rhythmu.  
Si uero labefactat rhythmu proprium etas aliqua,  
uel sexus, uel temperamentū, descendo scilicet, et  
deflecto à proprio rhythmo, arhythmu pulsum  
habere dicetur, quasi dicas, pulsum sine rhythmo:  
Nō ita tamē, ut omni orbetur rhythmo: ne falsus q̄s  
nomine hoc arhythmi, etatē, uel sexū, uel tempera  
mentū sine rhythmo penitus esse existimet. quilibet  
enim pulsus, qualiscunq; sit, alicuius sit rhythmi ne  
cesse est. Sed ut aphonū, id est, sine uoce, dicimus es  
se eum qui à propria descivit uoce, & malā nactus  
est, non qui uoce careat: ita arhythmus uiciū est na  
tiui rhythmi, nō abolitio. Eurhythmus igitur unus  
est, et ætatis, id est indivisibilis, cū sit secundū na  
turā. Arhythmus aut̄ alius est, qui destruit qđe etatē  
suae rhythmu, aliū tamen uicinæ etatis mutua  
tur: et nomē illi est pararhythmus, aliū est q̄ acci  
pit nō uicinæ etatis, sed cuiusvis alterius rhythmu,

& appellatur heterorhythmus: alius est, qui nullius ætatis rhythmum retinet, & hic ecrhythmus dicitur, id est, extraneus & inconueniens. Exempla harum rerum sunt hæc: Senes rhythmum habent, , qui ipsis est eurhythmus, id est, consonus et  concinnus: quod si per ægritudinē, aut quacunq; alia ex causa incidat in rhythmum , pararhythmus ipsis iste erit, quoniam uincinæ etatis, nempe constitutæ, huiusmodi  rhythmus est. At si incidat non in hūc, sed in  qui puerorum est, heterorhythmus iste senibus erit. Porro si incident in  uel in , qui nullius ætatis pulsus est, quoniam æqualis non est, sed inæqualis, senibus iste ecrhythmus dicitur. Sed de inæquali rhythmo statim dicemus, dum prius admonuero studiosos, nomina hæc rhythmorum, eurhythmus scilicet, arhythmus, pararhythmus, heterorhythmus, ecrhythmus, non significare alias & nouas rhythmorum differentias, ab ijs quas ab initio sine ullo nomine recensuimus, dum æqualis rhythmi latitudinem, amplam & diuersam esse declararemus. Nam si quis dicat qualitatum, que primæ sunt compositarum, quatuor esse differentias, calidam bumidam, calidam sicciam, frigidam humidam, frigidam sicciam: aut diuersis quidem uocabulis, pri-

mam

# Liber primus.

21

man uocet puerilem calidam, scilicet humidam, secundam iuuenilem, tertiam constitutae etatis, quartam senilem: differentias quidem qualitatum compositarum nouas non proferret, sed easdem quas prius, cum diuersis subiectis corporibus. Ita qui dicit rhythmum alium esse brevium temporum, aliud longorum, aliud longiorum, aliud longissimum; uel alijs uocabulis dicat rhythmum aequalem aliud esse eurhythmum, aliud arhythmum, aliud pararhythmum, aliud heterorhythmum, easdem proferret rhythmri aequalis differentias, licet diuersis nominibus, & cum subiectis corporibus. De ec rhythmico secus est, quoniam hic ex numero aequalium non est, sed in aequalium: de quo iam dicamus.

Ecrhythmus, siue in aequalis rhythmus, alias est cum manifesto & certo excessu, alias cum occulto et incerto. Si est cum manifesto excessu, id sit aut cum proportione, quam musici multiplicem appellant, Graeci πολλα πλαστοι: cuius species sunt, dupla, tripla, quadrupla, ex reliquo. aut cum proportione, quam superpartiale nominant, Graeci επιπλοι, quam etiam numeri ad numerum uocant: cuius species sunt hemiola, sesquitertia, sequiquarta, sesquiquinta, sesquisexta, & aliæ: ut exempli gratia, si quanta habet distensio duo tempora, tanta ha beat contratio quinq; uel septem, uel nouem, uel undicim. Si enim quinq; haberet tanta tempora con

tractio, quanta haberet duo distensio, esset proportio  
sesquiteria: si septem, sesquiquarta: si noue, sesqui-  
quinta: si undecim, sesquisexta. Occulto autem ex-  
cessu fit trifariam. aut enim tempus distensionis oc-  
cultum est, aut contractionis, aut utrungq;. Occultū  
aut seu incertum tempus est, quod Græci ϕρέτου  
uocat: quod est adeò diminutum, ut nulla nota mu-  
sica exprimi possit, ne minima quidem ( que  
minimum significat tempus, quod exprimi poterat  
apud Musicos ueteres, quibus semifuse, fuse, &  
semiminimæ notulae occultæ erat et incognitæ) non  
tamē ita diminutū, ut sit omnino indiuisibile, quod  
philosophi nunc seu instas appellat: quin potius a-  
deò exiguum ad sensum, ut sit ueluti primus numerus,  
ad quod alia aestimates, duorum, uel triū, uel quatuor  
uel plurimum esse possint. Ac propterea ab Herophi-  
lo tempus primū uocabatur. et hoc est quod innu-  
it Galenus, dum inquit: Tempus primum non natu-  
ra ipsa esse, sed sensu accipiendum. Iam uero singul-  
latim quodq; tempus, contractionis scilicet, & di-  
stensionis, occultum seu incertum, uel adaueratum est  
aliquantulum, uel diminutum, plus uel plurimum,  
sive unum sit indistensione, & unum in contrac-  
tione, sive plura. hæc autem omnia schema  
sequens ostendit.

Disten-

# Liber primus.

23

	Distensio.	Contractio.		
	Longam	[Image of a vertical bar with a short horizontal stroke at the top]	[Image of a vertical bar with a short horizontal stroke at the bottom]	
Pari proportione, & est aqualis. Habet autem distensionem & contractionem, uel	Breuem	[Image of a horizontal bar]	[Image of a horizontal bar]	Sortiuntur autem differentiae nomine na, eurhythmus, arhythmus, para rhythmus, heterorhythmus, secundum diversas aetas, temperamenta, sexus.
	Semibreue	[Image of a vertical bar with a small loop at the top]	[Image of a vertical bar with a small loop at the bottom]	
	Minimā	[Image of a vertical bar with a large loop at the top]	[Image of a vertical bar with a large loop at the bottom]	
Rhythmus, seu eurhythmus,				Dupla
				Tripla
				Quadrupla
				Quintupla.
Impar proportione, qui eccentricus dicitur, cum	Manifestis excessibus, proportione	Multiplici, id est πολλαπλασιων, cuius species sunt,	Superpartiali, seu πιμερων,	Hemiola Sesquitercia Sesquiquarta Sesquiquinta Sesquisexta.
				Adaequalis,
				Diminutus plus minus, vel plurimum.

64

He

Hæ sunt igitur iuxta antiquorum traditionem rhythmorum in pulsu differentiæ, de quibus quicunq; post interitum librorum Herophili scripserunt, rem obscurissimam nulla in parte clariorem effecerunt: nos, quantum potuimus, conatisimus lucē adferre Galeno, et difficulti hac in re, et plurib. in locis deprauato.

DE RHYTHMIS GALE-

nici. Cap. 10.

**P**vlchra sane, et iucunda est, de rhythmis antiquorum meditatio: philosopho tamen magis apta, quam medico.

Quam priusquam Galenus diligenter rimatus esset, dubitauit quò se uerteret, repudiata mēte contempleret: an diu, seduloq; à priscis, potissimi uero Herophili sectatorib. usurpatā, in usum medicum duceret. Comendauit illā in primis, lib. 1. de Pulsu differētijs, ijs uerbis: μεμνηθαι ἡ γένη τῶν χρόνων τοτῶν, τὸ ή παῖδες φύσιν ἐνάγεται μέγεθος, τοῦ τὸν πέδος ἀναγέλεις λόγον, καὶ γνωμήν δίνεθαι, πίστον εἰ τῷ νοσήμῳ αλλοιώνται, καὶ τὰ μηλάδην ἐνάγεται τροπὴν πέφυκεν, διῆται τὸν αὐτίας σύργεσα καὶ τὴν μανρᾶ πείρα λειμβανεται. id est: Horū igitur temporū quīta sit naturalis magnitudo, medico scire est operæpreciūm, et quæ sit eorū mutua pportio: quantū præterea hæc immutetur in morbo, et qd quælibetmutatio boni uel mali significet. qd nō aliunde scire possumus,

# Liber primus.

25

mus, nisi cause disquisitione, quæ immutationem fecit, & longa experientia. Sed postea cum libro de Dignoscendis pulsibus tertio, manifeste ostenderet, ratiōnissimum aut nullū eius fieri posse usum apud medicos, loco rhythmorum Herophiliorum, quos iam priore capite recensuimus, constituit suos longè faciliores & utiliores ad cognoscendum plurima, quæ in morbis scire expedit.

Est autem rhythmus, secundum Galenū, qualitatum motus distensionis & contractionis, ad inuinīcim proportionis. Qualitates autem uoco, celeritatem, tarditatem, & inter utrasq; mediocritatem. Non solum enim certae sunt quantitatū, de quarum generē tempus est, proportiones, sed etiam qualitatū ipsarum. Sic dicimus ex calidi, frigidi, humidi, siccī proportione debita constare sanitatem: sic dulcem saporem ex proportione certa qualitatum, sic acrē ex alia, amarum ex alia: sic & in uiridi colore cereuleo, puniceo, diuersē dicuntur albi & nigri, & luminis in mixtura proportiones. Quare nibil absurdum est, si celeritatem & tarditatem contractionis & distensionis conferamus ad inuicem, ac earū collatiōnes seu aptitudines uarias, proportiones seu rhythmos uocemus, iubēte Galeno in libro de Difficultate spirandi primo, ubi inquit: Quoties inspirationem expirationi conferre libet, ut in pulsibus distensionem contractioni, rhythmum appellamus.

c 5 Sau=

## Sphygmicæ artis

Suadet hoc idem, et facit ipsem Galenus libro de Causis pulsuum tertio, et in libello de Vsu pulsuum non procul à fine. Quid intersit autem inter tempus motus, et qualitatem motus distensionis et contractionis, facile disceret, qui librum secundum legerit, ubi de cognitione pulsuum secundi generis sermo erit.

Rhythmus igitur, seu proportio qualitatis motus distensionis et contractionis, alia est par seu aequalis, alia impar seu inaequalis. Aequalis tres sunt differentiae, inaequales sex, ut in tabella uides.

Contractio		Distensio
2 Celeris		Celeris
2 Moderata	Aequales	Moderata
3 Tarda		Tarda
4 Celeris		Moderata
5 Celeris		Tarda.
6 Moderata	Inaequales	Celeris
7 Moderata		Tarda
8 Tarda		Moderata
9 Tarda		Celeris.

Sunt ergo nouem hæ differentiae rhythmorum, secundum Galenum: tres aequales, sex inaequales. Nam uero hinc uidere est, quam bene Alucenna, Averrois, Paulus Aegineta, et alijs qui post Galenū hucusque de rhythmis scripscrunt, assecuti sint Galeni

# Liber primus.

27

leni sententiam: qui neglectis rhythmis Galenicis,  
ex quibus motus ægritudinum, crises bonas & ma-  
las prædicimus, exagitarunt, & torserunt sese mi-  
rum in modum in expendendis rhythmis Herophi-  
lijs, quos putabant esse Galenicos. At Galenus i-  
pse quantum huiusmodi rhythmis tandem tribue-  
rit, constat uel ex ijs uerbis eius, que hic profere-  
mus Græca, quoniam parum fideliter in Latinum

sunt traducta: οἵοι μέν ἀρχι λόγοι πιθανῶς προσέξετε Libro secū  
χωται, τε χυνούμενοι διότι μετά προφιλέστας ὑπὲρ τῶν do de præ-  
σητιοῖς εἰς τοῖς σφυγμοῖς ρύθμῳ γράφοντες, οἵοι δὲ πε- sagitiōe ex  
σιδαλοῦ τε τοῦ τοιάντηρ θεωρίαιν αἴποναλδοι,  
καὶ τελέως αὐτοῦ ἀφίγανται, τὸ δὲ αἷληθὲς ὑδέτε-

ροι πατέσθον, ὡς εἰς τόχος τε πατὶ βραδυτῆτα χρῆ  
βλέπεται τῆς διασολῆς καὶ συσολῆς, ἐνστέρεας  
πολλὰ σημαίνειν πυναμεῖν. Id est: Ex pīscis me-  
dicis quidam ad uerisimilem orationem progre-  
ditur, commentationes Herophilias quasdam de  
pulsuum rhythmis conscribendo. quidam inanem

loquacitatem uocant huiusmodi speculationem, at-  
que eam omnino repudiant. ueritatem autem neu-  
tri istorum agnouerunt: quod scilicet ad celeritas-  
tem & tarditatem oporteat animaduertere disten-

sionis & contractionis, quarum utraq; multa

potest indicare in morbis. Hæc

Galenus.

De

Diximus antea, esse relationes quasdam, seu comparationes pulsuum, & qualitatem, in-  
& qualitatem, ordinem, ordinis perturbationem,  
quam ataxiam uocant rhythmum. Absoluimus au-  
tem hæc omnia præter inæqualitatem, quam non-  
dum exacte depinximus. Habet autem plurimas diffe-  
rentias cognitu apprimè necessarias medicis: &  
nescio an ullæ sint, quas tantopere scire referret.  
proinde diligenter obseruandæ sunt, & cognoscendæ. Inde autem ordiamur, ubi quinto capite desig-  
mus. diximus enim, inæqualitatem aliam esse syste-  
maticam, quam Latini congesticam, quidam colle-  
cticam uocant, que in congerie, seu agmine mul-  
tarum reperitur pulsationum: aliam, que sit in u-  
na pulsatioe, quam singularem uoces, si libet. Col-  
lecticia duas habet primas species. aliqui enim sunt  
pulsus, qui & equaliter inæquales fiunt, aliqui inæ-  
qualiter. Aequaliter, ut si primo pulsu secundus sit  
paulo minor, & tanto tertius secundo, & quartus  
tanto etiam tertio, & pari modo reliqui, donec ad  
plures uentum sit. Vocatur à medicis huiusmo-  
di pulsus Latine decurtatus, Græcè myurus, quasi  
dicas cauda muris: Auicenna uocat caudam sorici-  
nam, eo quod magnitudini eius detrahitur conti-  
nuo, quemadmodum caudæ grossicie magis ac ma-

gis,

gis, quanto longius protenditur. Neque mireris, quod pulsus inæquales alios dicamus fieri æqualiter, quos myuros appellant medici: alios inæqualiter, de quibus infra dicemus. Quia enim æqualitatem immutant, inæquales dicuntur: quia uero æqua mutatione alter ab altero secedit gradatim, propterea æqualiter fieri dicuntur. Iam hi pulsus, myuri scilicet, bifariam iterum diuiduntur. Alij enim sunt, qui non cessant diminui usq; ad defectionem, & iij uocantur myuri deficientes. alijs sunt qui cessant diminui ante deflectionem, priusquam scilicet arteria moueri desistat: & hi in duas iterum secantur differentias. alijs enim sunt, qui perseverant in eadem paruitate, ad quam deciderunt gradatim, & carent proprio nomine: alijs non perseverant in eadem paruitate, sed denuo augmentur, qui myuri reciproci non minantur: & redeunt hi aut ad pristinam magnitudinem, aut ad minorem, aut ad maiorem. & haec sunt omnes myurorum differentiae. Illi uero pulsus, qui & inæquales sunt, & inæqualiter sunt, id est, non gradatim, nec seruata ad inuicem æqua distantia, sepiissime ægrotis cōtingunt: & multæ sunt eorum classes, secundum multa genera prima. Alij enim magnitudine distensionis inæqualitatem efficiunt, alijs celeritate & tarditate, alijs crebritate & raritate, alijs uehementia & debilitate, alijs duritie & mollitie: sed sunt anonymi, id est proprio nomi-

Sphygmicæ artis  
ne caretites plures. quidam uero propria nomina  
habent, intermittens, intercurrrens, deficiens, defi-  
ciens reciprocus. Intermittens, est inæqualis pro-  
pter raritatē: quia deest pulsatio una, uel due, uel  
tres. Intercurrens autem inæqualis est crebritate:  
quia inter duas pulsationes intercurrit tertia, ueluti  
superuacanea. Deficiens est, quando motu arteria  
destituitur, quemadmodū & in myuris deficienti-  
bus fieri diximus: quæ si iterū agitari incipiatur, uo-  
catur deficiens reciprocus, qui affinis est intermit-  
tenti. hoc tamen est discrimen, quia deficiens reci-  
procus post longius sit temporis interuallum, quo  
arteria immobilis permanet: intermittens aut uno,  
uel duobus, uel tribus, ad maximū quatuor pulsib.  
rarō quinq; obmissis, alios repetit. & hæc est colle-  
ctiua inæqualitatis, quam systematicam uocant,  
uera partitio. Supereft inæqualitas singularis, quæ  
in uno pulsu fit, quam tandem tractabimus: sed prius  
lectorem commonere uisum est nobis operæ precia-  
um, de quorundam erroribus, qui plurimas offun-  
dunt tenebras claræ & uera doctrinæ de pulsibus.

DE Q. VORVNDAM ERRORI-  
bus circa inæqualitatem Systema-  
ticam. Cap 12.

**D**Ecepit plurimos interpres Pauli Aegine-  
te Latinus, præter cæteros & Leonardū  
Fuchsiū, qui in Compendio medicinæ, ubi agit de  
inæqua-

# Liber primus.

31

inæqualitate pulsuum Systematica, deficiētē pulsū  
ita describit: Deficiens est, quando non solū in uno,  
aut etiā pluribus magnis unus minor apparet, sed  
nōnunq̄ totus quoq; motus aboletur. Hinc est quod  
in eo pulsu, non solū ad duas, sed ad tres etiam uel  
plures percusiones immobilis maneat arteria. In=  
tercidens huic plane contrarius. Hoc uero diuer=

sum est longe à Galeni sententia, & Pauli Aegime=

tæ. hæc siquidem apud Galenum est descriptio pul=

sus intermittentis, quæ apud Fuchsium est deficien=

tis. Neq; Galenus deficientem, contrarium esse ait  
intercurrenti, seu intercedenti, ut putat Fuchsius:  
sed intermittentem. Tantū porrò differt intermit=

tens à deficiente, quantum raritas à paruitate. dicit  
enim Galenus: ἐπὶ μὲν τοῖς συμπότησι τῶν σφυ=

γμῶν οἱ ἐνλείωστες, ἐπὶ δὲ τοῖς αρρούστησι δια=

λέποντες γίνονται. Id est: In paruitatibus quidem

pulsuum deficientes, in raritatibus autem intermit=

tentes fūnt. & de ijs quidem satis sit dictum. At ue=

ro Auicenna cupiens addere aliquid de suo noui,

ad ea quæ prisci medici repererant, adiunxit myu=

ris pulsibus (quos ille diuersos gradatos, æqualiter

curretes uocat) alterū genus, nēpe myuros augescē

tes gradatim, donec perueniat ad finē in augmēto,

ut eius uerbis utar. Quod si rectè hæc ab ipso tra=

dūtur, pariēt nobis tot species myurorū augescēti=

um, quot nos decrescētum esse docuimus. Sed lögē

res

res se aliter habet. nam possunt quidem cogitatione seu imaginatione singi eiusmodi pulsus myuri augeſcētes, sed ſenſu nunquā à medico inæquales eſſe percipientur: quæ cauſa eſt, cur Galenus, et ante eum ueteres medici, eos obmiferint. Experimur hoc quod dico, tum in ſanis hominibus, qui ubi in balaneo lauerint, uel exercitium iniuerint, exhausto ſpiritu, calore aucto, maiores, celeriores, crebriores iusto pulſus habere uidentur. Græci uocant huiusmodi pulſuum diuerſitatem heterophyxiā. at manifeſtē nunquā à primo diſſert ſecundus, tum in ægrotis, qui habent febres mites: quales ſunt quæ ex bubonibus excitantur, uel exquiritæ tertianæ, uel quæ ex recalcatione, uel refrigeratiōe, uel ab alijs cauſis extrinſecis oriuntur ephemerae. Totū enim à principio eorū tempus ad uigorē pro incremēto caloris pulſus immutat in magnitudinē celeritatem & crebritatē. nunquā tamē ſecundus pulſus à primo dignotionē aut diſcrimen ullū habet tamen: uerū ſi multum temporis interponas, maior, celerior, crebrior apparet, ubi illum cū prioribus contuleris, qui longē antecesserunt. Medici autem, quia artifices ſunt circa pulſus ſenſuāles, non quoſ ratio colligit eſſe impares, eos uocare ſolent inæquales: ſed quoſ manifeſtē ſenſu comperiunt eſſe tales. Faceſſat ergo Auicēna cum ſuo auctuario, quod myuris pulſibus adiungere uoluit: quum nec ipſe, nec

Liber primus.  
nec quisquam alias illud sensu explorauit.

33

D E I N A E Q V A L I T A T E S I N-  
gulari, id est, in uno pulsu.

Cap. 13.

Inequalitas autem in uno pulsu, quam singulae  
rem vocavimus, siue absoluta, siue certo in aliis  
quo generis, ut exempli causa, in celeritate et tarditate,  
duas primas habet differentias. nam altera  
est in una parte arteriae, altera in pluribus parti-  
bus, quas plures digiti attingunt. Quae in una parte  
est, sub uno scilicet digito, tres gignit differentias.  
Prima est, quando motus fit intercisis, seu interru-  
ptus quiete interpellante: quae facit pulsus, quos vo-  
cant medici intermittentes in uno pulsu, Græci οἰκεῖοι  
παρανομοῦσι, Secunda, quando mo-  
tus est continuus, nulla intercisis quiete, transiens  
a celeritate in tarditatem, aut contraria: qui Græci  
οὐρανοτάχυς, Latinis impar citatus dicitur. Tertia  
est, cum motu retrocedente, et redeunte: quae fa-  
cit pulsus, quos medici dicrotos, id est, bis pulsan-  
tes vocant. Primæ differentiæ species sunt nouem,  
que ita inter se diuersæ sunt, prout prior motus an-  
te quietem, et secundus post quietem uariat.

Variare autem potest nonies, ut in  
tabula uidere est.

d

Primus

## Sphygmicæ artis

	Primus motus diastroles,	Secundus motus uel systoles.	diastroles, uel systoles.
1	Celer	Tardus	
2	Celer	Celer	inutilis
3	Celer	Moderatus	
4	Tardus	Tardus	inutilis
5	Tardus	Celer	caprizans.
6	Tardus	Moderatus	
7	Moderatus	Tardus	
8	Moderatus	Celer	caprizans
9	Moderatus	Moderatus	inutilis.


Sed ex ijs nouem speciebus, secunda, quarta, & ultima inutilis sunt, quoniam ad inæqualitatem nō spectant, sed ad æqualitatem. Secunda enim est tota celer, quarta est tota tarda, ultima tota moderata. Quinta uero & octaua nomina habet propria: uocantur enim *lognæ solis portæ*, id est caprizantes. sed de ijs infrâ dicetur apertius.

Secunda autem differentia prioris partitionis, quando scilicet motus, unius partis arteriæ est continuus, nulla quiete mediante, qui impar citatus dicitur, duas ex se producit species. Nam motus ille continuus unius partis arteriæ, aut fit æqualiter, aut inæqualiter. ita autem inæqualitatem intelligas fieri æqualiter aut inæqualiter, sicut antea docuimus: nihil autem oberit, si & nunc clarius idem ostenderimus, ut studijs scriptum Galeni de æquali

# Liber primus.

35

æ quali uel inæquali inæqualitate, sèpius repetitum; tanto exactius & melius percipient. Perpendas motum rem esse continuam, sed habere partes priores & posteriores, duas, exempli gratia, uel tres. Sit igitur prima ad tactum celer, secunda celerior, tertia omnium celerrima: sed tantum celerritate recedat tertia à secunda, quantum secunda à prima. has meritò dixeris inæquales, quoniam pàrem celeritatē non habent. meritò etiam dixeris eas, licet inæquales, & equaliter tamen fieri: quoniam æquam habent analogiam & recessum à se inuicem. Sicut apud Arithmeticos numeri 2. 4. 8. inæquales sunt, quoniā secundus superat primū, & tertius secundū: & equaliter tamen crescit ea numero rū inæqualitas, quoniā tertius à secundo, tāto discedit, quanto secundus à primo, nempe proportione dupla. Diuersum est in numeris 2. 4. 5. nam ijs inæquales sunt inter se, & inæqualiter crescit eos rū inæqualitas. Idē reperitur apud Mathematicos, qui trianguli æquas habentis lineas, quas ipsi latéra uocant, inæqualiter partes laterum à se inuicem distare afferunt. Maior enim est distātia a b, quam c d, & e f. attamē quiasimili recessu discedit a c & b d, sicut c e et a d f, & equaliter fieri ea inæqualitas dicitur. Diuersum



sum est in quadrangulis in æ e  
qualibus, quorū latera à se  
inuicē et in æ qualiter distat, c  
et partes laterū in æ qualiter a  
recedunt. Ita & apud medicos, pulsus in æ qualē fa-  
cientes in æ qualitatem, sunt: exempli gratia, si pri-  
ma pars motus sub uno digito sit celer, secunda  
multo celerior, tertia paulo differat à secunda. Il-  
lorum igitur pulsuū, qui æ qualiter in una parte  
arteria in æ qualitatem celeritatis faciunt, uel tar-  
ditatis, possunt multæ excogitari differentiæ: sed  
quæ medico sunt conspicuæ, quas Galenus perueni-  
vit, id est manifestas uocat, sunt hæ in tabula sex.

	Prior motus	Posterior motus
1	Extremè tardus	Moderatus
2	Moderatus	Extremè tardus
3	Extremè celer	Moderatus
4	Moderatus	Extremè celer
5	Paulo mediocri celerior	Tardus celerior
6	Tardus	Paulo medioéri ce-

Harum differentiarū partes motus aliae sunt mo-  
deratæ, uel paulo moderatis celeriores, aut tardio-  
res: aliae uero extremitate tardæ, uel extremitate celeres.  
Nam ab extrema tarditate ad extreamam celeritatē  
peruenire æ quali recessu nunquam cōperimus, nec  
ex celerrimo motu æ qualiter fieri tardissimum.

In illis porro qui in æ qualiter uariant, hoc con-  
tingere

# Liber primus.

37

tingere potest, sed non adeò frequenter. Nam ut tardissime initio moueatur arteria, ad finem uero celerimè, aut initio celerrimè, ad finem uero motus tardissimè, mutatione opus est subita, proptereaq; inæquali.

Illorum qui inæqualiter inæqualem celeritatem augent, uel minuant, nouem sunt differētie, si duas tantum sensiles habeat motus partes: si uero tres, erunt eorum differentiae uiginti septem.

Quod si quatuor sint motus partes differentes (quas Galenus nonunquam percepit, quas & nos interdum obseruauimus) erunt multo plures differentiae, sed nos uulgas proferamus, ac primo loco, quando due tantum sunt motus partes diuersæ.

## Prior motus

## Posterior motus

1 Celer	Tardus
2 Celer	Celer      inutilis
3 Celer	Moderatus
4 Tardus	Tardus      inutilis
5 Tardus	Celer
6 Tardus	Moderatus
7 Moderatus	Tardus
8 Moderatus	Celer
9 Moderatus	Moderatus      inutilis

Ex ijs, secundus, quartus & nonus inutilis sunt: quoniam hic inutiliter coniunguntur. sunt enim de numero æqualium.

d 3 Quando

## Sphygmicæ artis

Quando uero tres sunt motus sensiles,  
erunt uiginti septem differentiae pulsuum, quos in  
tabula lege.

	Prima pars motus	Secunda	Tertia
1	Celer	Celer	Tardus
2	Celer	inutilis	Celer
3	Celer	Celer	Moderatus
4	Celer	Tardus	Tardus
5	Celer	Tardus	Celer
6	Celer	Tardus	Moderatus
7	Celer	Moderatus	Tardus
8	Celer	Moderatus	Celer
9	Celer	Moderatus	Moderatus
10	Tardus	Celer	Tardus
11	Tardus	Celer	Celer
12	Tardus	Celer	Moderatus
13	Tardus	inutilis	Tardus
14	Tardus	Tardus	Celer
15	Tardus	Tardus	Moderatus
16	Tardus	Moderatus	Tardus
17	Tardus	Moderatus	Celer
18	Tardus	Moderatus	Moderatus
19	Moderatus	Celer	Tardus
20	Moderatus	Celer	Celer
21	Moderatus	Celer	Moderatus
22	Moderatus	Tardus	Tardus
23	Moderatus	Tardus	Celer
			Moderatus

# Liber primus.

39

- |              |           |            |
|--------------|-----------|------------|
| 24 Moderatus | Tardus    | Moderatus. |
| 25 Moderatus | Moderatus | Tardus     |
| 26 Moderatus | Moderatus | Celer      |
| 27 Moderatus | inutilis  | Moderatus  |

Ex ijs tres sunt inutiles, secundus scilicet, decimustertius, & uigesimus septimus. sunt enim in tota aequales. Tertia autem superioris partitionis differentia, de qua ab initio diximus, quæ dicrotos gignit, nō parū adfert difficultatis: & magna est apud multos de ea ambiguitas, propterea quod non satis manifeste, nec sufficiēter ab antq̄s sit descripta. Nos aut̄, quanto poterimus breuius & lucidius, eā explicare conabimur, sumpto initio ab interpretabiō nominū, quæ magnā quibusdā dederūt errādē occasionē. Dicrotus dicitur, id est bis pulsans, ἀπὸ τῆς ὁράσεως, quod Græcis bis pulsare significat. idēc alijs uerbis efferrūt, οὐδὲν ποτέ. inde dīs ποτέ. Quod uero Græci medici bis ferire dicunt, id est dīs πλήρεις, longē aliud est. sic et dīs πλήρεις, id est bis feriens pulsus, diuersus est à bis pulsante seu dicrōto. nā omnis dicrotus seu bis pulsans, etiā est bis feriēs: sed nō omnis bis feriēs, est dicrotus. Bis ferit caprizans, quoniā duos ictus ad digitū facit: et omnes illi in uno pulsu intermittētes, de quibus antea diximus, bis feriunt, quoniam post unum ictum, paucula interposta quiete, quæ motum distensionis dirimit, iterum tactū secundo afficiunt, cōplentes

d 4      distensio-

distensionem, non tamen bis pulsantes seu dicroti sunt, nec dicuntur. differunt enim ab illis: quoniam dicroti facta distensione, tactum primò feriunt: sed mox contractione exigua facta, iterum post illam distensi, secundò feriunt. Simile quiddam esset in uulnerato homine, cui duo aduersarij, duo in se- mur uulnera punctum infligant: sed alter sit, qui infixo ense in femur pungat primò, donec mucro os femoris adtingat: & modicè retracto ense, non exempto tamen, secundò pungat eò usque quò prius. alter ensem infigat femori, & pungat non adeò profundè, sed medios tantum femoris muscu= los mucrone adtingat: ac paucula mora interposi= ta,ensem nihil retrahens, secundò pungat profun= dius, ad os usque femoris. Vterq; istorum bis feri= endo percussit, sed ille contrarijs motibus est usus: pungebat enim bis, & retrahebat: hic pungebat bis citra ullam retractionem, modicè remoratus in medio uulnere. Huic caprizantem, & similes alias intermittentes pulsus, illi dicrotum compares. Sunt autem dicrotorum pulsuum tres differentiæ. Pri= ma, cum nondum perfectam distensionem seu cōple tā contractio excipit, mox sequitur distensio et ictus secundus. Secunda, cū ad perfectā distensionē suc= cedit contractio, deinde distensio secunda. Tertia, cum distensionē quamprimum fientē, contractiōis motus contrarius retrahit, ac impedit: & debilior

## Liber primus.

41

cum sit ob impedimentum, permittitur reliquum  
implere secundæ distensioni. Iam dicat quis, si ita  
se res habeat, ut tu ait Struthi, pulsus dicrotus nihil  
differet ab intercurrente, quem nōgēnūtī fortæ à  
Græcis uocari, antea dixisti. cui nos id respōsum es-  
se uolumus: Dicrotum hoc distare ab intercurrente,  
quod huic omnia sunt integræ: dicroto uero qui-  
es externæ est perdita, quoniam est insensibilis me= dico, ac contractio secunda & distensio eidem sunt  
exiguæ. Reperiuntur etiam similes motus dicroti  
in quorundam hominum spiratione, quæ cum pul-  
su magnan habet communionem. constat enim ex  
motu etiā distensionis, qua inspiramus: & contra-  
ctionis, qui respiramus. Sunt enim quidā desidio= si & uoluptuarij Thrasones, qui dum meditantur,  
aut cum pueris loquuntur delicatis, loco unius du= as faciunt nō inspirando distensiones, parua inter  
eas interposita respiratiuncula. Quod & quilibet  
nostrum ex industria efficere potest. est enim in ar-  
bitrio cuiusvis, post inspirationem siue perfectam,  
siue imperfectam, siue impeditam, modica subito adhibita respirandi contractione, inspirationis di-  
stensionem repetere: quod faciunt & pueri, dum  
flentes anhelant.

DE GALENI, AVICENNAE, PAV-  
li Aeginetæ, Auerrois, circa dicrotos pulsus  
erroribus. Cap. 14.

d s

Scio

**S**cio equidem, Galenum longè aliter differuisse de dicrotis pulsibus, quām nos docuimus. Libro enim de Differentijs pulsuum primo, latē tractans de ipsis, reprehendit quosdam, quod dicrotum pulsū censeant esse non unū, sed plures: cuius sententiæ et nos sumus. Si enim uerum est illud quod apud Aristotelicos omnes proclamatū est, τὸ τῷ γει σοφεῖς οὐ τὸν διαφέγοντα καὶ λύλων, τὸ δὲ σὺν μεταβάσει, id est, Quæ ipso maius aut minus à seiniū-  
 cem differunt, speciem nō mutant, ( alioqui infans paruulus propterea non esset homo: et motio parua, motio non esset ) quomodo parua contractio, ex parua distensio, quæ in dicrotis fit secunda, non meretur dici pulsus: præsertim cum à medico sensu percipiatur. Si enim sensibilis non esset, cōcederemus utiq; pulsū uocari nō debere. Licet autem quiete ex-  
 terna perdiderit, quo ad sensum medici: tamen ex hoc nihil obstat, quo minus pulsus dicatur. quies enim nō primò, sed per accidēs pars est pulsus, qui reuera est motus. Nō nimis tamē refragabimur, si q̄s eos ad classem singulariū in æqualiū referat, dū-  
 modo de rei essētia bene sit edoctus. nō temere enim ordo doctrinæ à ueterib. traditus immutandus est.  
Quām bene uero Galenus dicrotorū pulsū natu-  
ram doceat, diligētis lectoris esto iudiciū. Ait, pul-  
 suns dicrotū fieri, dū vibratus fit: quod si ita est, nō  
 erit in æqualitatib. simplicis pulsus, sed complicatae,  
de

# Liber primus.

43

de qua inferius dicetur. Alteram autem speciem dicrotorum tradit absq; vibratione fieri, sed non absq; duricie arterie, quam nos in una ex tribus à nobis prius traditis, comprehensam esse uolumus. siue enim dura sit arteria, siue mollis, dicrotum faciens, necesse est ut uno quopiam modo ex tribus antea à nobis recensitis, contractionem & distensionem repeatat. Illud uero magis est mirum, quod ibidem scribit Galenus, dicrotum pulsus se habere instar geminorum ad incudem mallei ictuum, quum ex magno interuallo prior incutitur, ualideq; pulsat: secundus porro, cum quasi resiliat ab incude malleus, nō ita multū, reciditq; in eā non ita ut antea ualēter, et breui interuallo. Ex eodē genere sunt, inquit, dicroti. nā arteria in occurso quasi repellitur, moxq; reddit. neq; enim tū arteria cōtrahitur: sed quasi excuteretur, decidit. cuius delapsum à primo distensionis termino, nulla dirimit manifesta quies. At quo modo, doctissime Galene, arteria ita potest repelli, sicut malleus ab incude: ita ne dura est ipsa, & cutis quam ferit, sicut incus et malleus. Et esto sane, ut tibi hoc demus, arteria esse durā, & cutem etiam durā, accedat et ictus uehemens: nā ijs duob. opus est, duritie scilicet p̄cutientis, et percussi corporis, et ictu seu plaga uehemēti, si alterū ab altero resiliire debeat. Sed si hæc ambo adſunt, necessaria & sonitus aderit. percusionem enim durorum corpora

corporum ad inuicem, tam uehementem, ut alterum ab altero resiliat, sonitum non subsequi est impossibile: si uero uerum est, quod afferunt philosophi, uacuum in rerum natura nusquam reperi. Quum igitur in dicrotis pulsibus nullus adest sonus, constat duram illic non resilire à cute arteriam: oportet quoq; arteriam duram ex grauem, supernè decidere in digitos medici, ut ipsa malleo, digitii uero incidi respondeant. at secus fieri uideamus. Scio quam male sim auditurus à plerisq; studiosis, quòd Galeno & Auicennæ, & Paulo Aeginetæ, et Auerroi, ac plerisq; alijs qui idem dogma à Galeno receperunt, contradicere audeam. sed facile ego me excusabo: nullius enim iuraui in uerba magistri. Auicennæ equidem & Paulo Aeginetæ plus uitio uerto; quòd scripta Galeni hoc in loco cursim & sine iudicio legerint, ac posteris quasi firma protulerint. dignus enim est uenia Galenus, quoniam resipuit hac in re, & sui erroris (ipsis inscijs) alio in loco palinodiam cecinit ijs uerbis: Διηγοτος

Lib. 2. de θυτις ἐπισφυγμὸς πλονόσις, ὅρ δὲ λιαὶ μόνον ὡ-  
præcog. ex μηνὶ τῷε πατέρεσ σφράξειν πλεύτουν τὰ δύο, ἐξαπατώ-  
μενος ὑφ' ὧν ἐλεγον αρχιγυνίς, εἰπάσων αὐτὸν  
Ταῦτα τὸς σφίγγας διπλαῖς πέδος τὸν αἴματον πληγαῖς.  
αποπάλλεδαι γαρ τι σπληγῶν ἀφ' ἐτέρως σπληγῶν  
κατατάσσειν τοιαύτας πληγαῖς ὑποθέμασνος, ἐξ ὧν ἐσφά-  
λημ πιεῖ τὴν εὑνοιαν τὸ πράγματος, ἐν τάττων λιαῖ  
περ

# Liber primus.

45

πει τὸν διαγνωστὸν ἐφαλόμηρον τοῖς οὐ τῷ γένει  
νῷ προσεδροῦντι τοῖς λιπαροῖς εὐνέμονος Τὴν δὲ  
αγνώστη τῆς συστολῆς, σὺν αργῶς καθόμενος αρτηέλας  
ποτὲ μαλακῆς λιπαρούς συσταλεῖσθαι ἐπιβρεχόντος  
πάπειτον αὐθίς ἐπιπληρωσάσθαι τὴν διαγνώστην, ἐπειδή  
τὸ τοτέ τέλος τῆς διαθέσεως, ἐφ' αἷς οἱ τοτέτοις γίνονται  
σφυγμοὶ παρεφύλαξε, λιπαρούς ποτὲ μαλακὸν σὺν  
πολλῇ τῇ σπέρμᾳ, βεβαίως πλανηθεὶς αποφύγει τοις  
ταῦθι ἀπόροις νῦν διεξέρχομαι. φάνεται δέ μοι λιπα  
ρούς αρχιγενίους ἐπιμελῶς μόνον παραπεφύλακοντα Τὸν  
διῆς ποιόντας σφυγμὸν, ὅτε δὲ ἐρμηνύσειν αὐτὸς ὁ  
θῶς, ὅτε τὰς διαθέσεις αἵς ἐπονται διαγνώσει, ἡ  
διπλῶν ἀπλῶν ὅτας, ὅτε τὰς τῆς σφύγας διπλῶν  
πρὸς τὸν ἀπμονὰ πληγαῖς ἔπαστον αὐτὰς, ὅτε παρέ-  
λιπερ εἴπειν, ὅτις ὁ τρόπος ἐστὶ τῆς γνώσεως αὐ-  
τῶν, ἀλλὰ ἡμῖν γε λιπαρότεσσον μετάχρονον  
πολλὸν, ὥσπερ λιπαρά πατητολακτικά τῆς θεωρέας.  
id est: Dicrotus igitur quidam pulsus est vibratus,  
quem ego à principio putabam esse solum, qui bis  
feriret: deceptus ijs que dixit Archigenes, assimili-  
lans eum mallei geminis ad incudem ictibus. Resi-  
lire enim durum ab altero duro, in huiusmodi icti-  
bus, quum mihi persuaderem, que mihi erat erro-  
ris occasio, circa notionem rei, eadem occasio fuit  
erroris et in dignoscenda ea. Postea uero, quum lo-  
go tempore instarem semper, seduloq; darem ope-  
ram, ut contractionem exacte cognoscerem: mani-  
festē

## 46 Sphygmicæ artis

festè sensi arteriam non nunquam mollem, & non uitratam, modicam contractionem facere, & deinde statim explere suam distensionem. Observauit deinceps affectus, in quibus sunt huiusmodi pulsus: ac longo tandem tempore, habita multa consideratione, certam potui dare sententiam de ijs quæ nunc recenseo. Videtur mihi et Archigenes diligenter obseruasse bis pulsantes pulsus, sed non rectè eos interpretatus est: neq; affectus, quos sequuntur, bene nouit. Alioqui non sic eos simpliciter mallei geminis ad incudem ictibus assimilasset: neq; prætermisisset dicere, quo fierent modo: id quod et nobis post longum tempus compertum est, quemadmodum et alia quam plurima huius commenationis.

DE INAEQUALITATE VNIUS  
pulsus, sed in pluribus partibus  
arteriae. Cap. 15.

**D**iximus de ea inæqualitate, quæ in uno pulsu fit, & in una parte arteriæ, quanto brevius & facilius potuimus. iam dicendum est de inæqualitate, quæ in uno pulsu fit, sed in diuersis arteriæ partibus, id est, quas plures contingunt digiti, duo uidelicet, uel tres, uel quatuor. huius inæqualitatis prima partitio est, in eos qui continuo motu sunt, & eos qui interciso, seu interrupto per quietem. ij uero qui continui motus sunt, aut æquæ liter

# Liber primus.

47

liter fiunt, aut inæqualiter ( ostendimus autem superius, quo modo inæqualitas æqualiter fiat, uel inæqualiter ) Si æqualiter, ut motus in una parte extremè fiat tardus, in altera moderatus, sex erunt differentiæ, cōformes illis quas antea docuimus, ubi de simili inæqualitate in una parte arteriæ egimus. Si aut inæqualiter immutetur celeritas et tarditas, erunt multo plures. Nam si duo digiti motum & arteriam occupent, nouem erunt differentiæ : sed tres erunt inutiles, ut antea dictum est. Si uero tres digiti motum & arteriam occupent, erunt uiginti septem, de quarum numero tres etiam erunt inutiles. Si quatuor digitis motus occurrat, erunt octo aginta una, cum tribus inutilibus. Facili autem negocio singulas recensebis & conscribes, si priores tabellas à nobis depictas, diligenter perspicies. Qui uero interrupto, siue interciso per quietem motu fiunt, quatuor differentias primò edunt: quarum singulæ multo plures pariunt. Prima differentia est, quando primus & tertius digitus motum sentiunt: secundus autem non, & quartus. Secunda, quando primus, tertius et quartus, non sentit autem secundus. Tertia, quando primus, secundus & quartus, non autem tertius. Quarta, quando primus & quartus, non autem secundus & tertius. Prima & quarta nouenas proferunt differentias, similes illis quas intermittentes in uno pulsus,

## Sphygmicæ artis

pulsu, ex una parte arterie habere docuimus. Secunda autem, & tertia, uigenas septenas gignunt, similes illis quas in superioribus tabulis depinximus. Hic tantummodo eas oculis subiiciemus in figura, causa memoriae. Numeri digitos significant: spacia uero inter lineas, digitorum differentiam referunt: à tergo numeri, quot sint cuiuslibet differentiae species, ostendunt.

Prima differentia.	Digitus I	Digitus 3	Digitus 3	Digitus IX
Secunda	I		3	4 XXVII
Tertia	I	2		4 XXVII
Quarta	I		4	IX

DE INAEQUALITATE PULSVS  
in reliquis generibus. Cap. 16.

**Q**uod inæqualitatis differentias descripsi-  
mus in uno genere pulsus, nempe qualita-  
te motus celeritatem, tarditatem & mediocritatem  
proferente: tot sunt etiam & in alio genere, quali-  
tate scilicet uirtutis, uehementiam, mediocritatem  
& debilitatem gignente. Nam aut unam partem  
occupat, aut plures. Vnam, trifariam, nam aut mo-

# Liber primus.

49

tu continuo, aut interciso, aut dicroto. Quæ dif-  
ferentiae tot parvūt alias, quot in genere celeritatis  
& tarditatis animaduertisti. Genus etiam aliud,  
quod est qualitas arterie, totidem habet inæquali-  
tatis species: hoc excepto, quod in una parte arte-  
riæ inæqualitas esse non potest huius generis. Quo  
modo enim eadem pars arteriæ, initio esset mollis,  
dura in fine: sed in diuersis partibus arteriæ, in ua-  
no pulsu est & sentitur crebrò. Idem intelligas de  
genere, quod quantitas diastroles nuncupatur. nam  
in una parte arteriæ, etiam inæqualitatem habere  
nequit. pulsus enim in una eademq; parte magnus  
& parvus fieri non potest. In diuersis autem par-  
tibus arteriæ, tot sunt differentiae inæqualitatis se-  
cundum magnitudinem, quot in genere celeritatis  
& tarditatis sunt reperta. sunt enim & interru-  
pto motu, & continuo inæqualiter & æqualiter.  
de quo ordine sunt, qui uocantur myuri in uno pul-  
su, seu decurtati, & illi qui dicuntur επινευρόνετο-  
lia, ηερενευρόνετος, id est, eminuli & prominu-  
li: quos quidam, nomina græca in epè interpretan-  
tes, uocarunt innuentes, & circumnuentes. Si enī  
pulsus sub primo digito sit magnus, sub secundo mi-  
nor, sub tertio, qui est ad ægrotantis pollicem ad-  
buc minor, æqua proportione imminutus, uocatur  
myurus in uno pulsu, id est decurtatus. Quod si  
media pars arteriæ sit magna, utring; uero sit par-

## 50 Sphygmicæ artis

ua, uocantur huiusmodi pulsus eminuli, & proximuli. Galenus eos etiam appellat myuros in utraque parte. Porrò quod ultimum ex primis generibus pulsuum genus attinet, tempus scilicet quietis, faciens pulsus crebros, mediocres, raros, in hoc etiam reperitur inæqualitas & congesticia, quam collectiuam uocant: quæ in aceruo est multorum pulsuum, dum quietes partum sunt maiores, partim minores, & singulares, in uno scilicet pulsu in diuersis arteriæ partibus: dum uidelicet non omnes simul mouentur, nec simul quiescunt, sed aliæ prius, aliæ posterius motum incipiunt, aut finiunt. de quo etiam dicemus in fine libri huius, ubi Galeni dicta interpretabimur.

DE INAEQUALITATE IN  
situ arteriæ. Cap. 17.

**I**am simplices omnes inæqualitates pulsuum absoluueramus in omnibus quinq; eorum primis generibus, dum nobis subit in animum, quod et apud Græcos & Arabes legimus, & circa ægrotos iam per uiginti annos, ita se habere, certò exprouavimus: arteriæ scilicet partes nonnunquam trahi sursum, nonnunquam deorsum, prorsum, retrorsum, dextrorsum, sinistrorsum: quod dum fit, efficiuntur pulsus, quos Græci tævortas, Latini tensos uocant, alij contortos. Multis ægritudinibus, ut infra

Liber primus.

51

infrà dicemus, communis est huiusmodi inæquali-  
tas, ex situ arteriæ enascens.

DE COMPLICATIS INAE-  
QUALITATIBUS. Cap. 18.

PVLsum inæqualitates simplices, quæ quidem  
medico essent utiles, aliæ non reperiuntur,  
præter has quas iam descripsimus. Nam quod Gale-  
nus refert, esse inæqualitatem quandam ab infusa  
arteria, ut plena sint aliæ partes, aliæ uacuæ: fe-  
cit hoc quidem, ut medicis illius seculi gratifica-  
retur, inter quos magna tum erat contentio, de ple-  
no & uacuo pulsu: sed reuera falso inductum est  
hoc genus pulsuum ab Herophili sectatoribus, sicut  
& multa alia: id quod libro secundo breuiter osten-  
demus. De inæqualitate autem calidorum & fri-  
gidorum pulsuum, nihil est quod dicamus, quan-  
do & hi nibil serij indicare possunt, neq; eos sci-  
re est operæ premium. Quare amplius non remo-  
remur docere, quæ sint complicatæ inæqualitates:  
quarū magnus est usus in re medica. Quod si libet  
uocare eas mixtas, aut compositas, de nominibus  
equidem non contendemus. Complicantur autem  
inæqualitates simplices uarijs modis. Systemati-  
ca cum singulari, nec diuersa tantum partes, sed et  
singulas tenente simul: nec unius generis, sed et  
duorum, & trium, & quatuor, & omnium quin-  
que, quam absoluta prius uocauimus inæqualitatē,

Sphygmicæ artis  
 ut ex magnitudine sint inæquales pulsus, simul &  
 celeritate, & crebritate, & uehementia, & molli-  
 cie, idq; in uno pulsu & in congeriem multorū. Qui-  
 nimò raro reperitur unica in pulsu inæqualitas,  
 quin adsciscat sibi alias plures, nonnūquam omnes:  
 cuius rei exemplum leges ad finem libri quarti de  
 Locis affectis apud Galenū, in Antipatro medico,  
 cui perpetua in magnitudinem, paruitatem, cele-  
 ritatem, tarditatem, uehementiam, remissionem,  
 crebritatem, raritatem, pulsus mutatio aderat, non  
 solum systematica, sed etiam in singulis pulsatio-  
 nibus. Carent uero proprio nomine, huiusmodi  
 complicationes, sicut & febrū ( præter illas quas  
 hemitritæos nominamus ) indiderunt tamen prisci  
 medici decem complicationibus nomina propria,  
 quæ sunt: undosus, uermiculans, formicans, capri-  
 zans, serrans, spasmus, vibratus, tremens, palpi-  
 tans, hecticus: ijs adde & strepentem, si libet. quos  
 ordine explicemus.

#### DE VNDOSO ET VERMICU- lante pulsu. Cap. 19.

**P**ulus undosum, qui Græcis est νυμφόδοντος,  
 due potissimum faciūt simul iunctæ inæqua-  
 litates: magnitudo scilicet diastroles diuersa in diuer-  
 sis partibus arteriæ, & crebritas diuersa: propter  
 quam non omnes simul partes mouentur, sed ini-  
 tiò pars eius prima, mox secunda, deinde tertia, ab  
 hac

# Liber primus.

53

bac quarta, motu non interrupto, sed continuo. cui  
accedit aliquarum partium altitudo, aliarum humi-  
litas instar undarum sese eleuantium: sic quidem, ut  
altera unda semper priorē excipiat, superne pro-  
ficiens usq; ad finem arteriæ, ad ægroti pollicem,  
atq; inde nomen est sortitus undosī. Adest illi ex re-  
missionis in uirtute inæqualitas: quia aliæ partes  
debilius, aliæ fortius feriunt. Nec celeritatis pars est  
progressus: sed aliæ celerius, aliæ tardius cidentur.  
Præcipua tamen illa sunt duo in hoc pulsu, ex ei pe-  
culiare nomen dederunt, quæ à principio diximus.  
Undosus totus, si in paruitatem delabatur, ex tardi-  
tatem, uermiculans appellabitur, Græcis σιωληνι-  
σων, inde nimirum appellationem nactus, quod uer-  
mis gressui sit assimilis. Sunt enim uermes, quos  
lumbricos terræ vocamus, qui etiā in modum un-  
darū progrediuntur, rependo, non currendo. Dia-  
stoles igitur diminutione ex tarditate undosus dif-  
fert à uermiculâte, in quem etiam ut plurimum de-  
generat. Licet autem uermiculans aliquibus suis  
partibus est creber, est tamen ex alijs partibus ra-  
rus. Aliæ enim eius partes longius quiescunt, aliæ  
breuius.

## DE FORMICANTE PVL<sup>æ</sup>

su. Cap. 20.

Formicans, Græcis μυρμηνίσων, ex iisdem  
constat inæqualitatibus, ex quibus ex uermi-  
culans:

Sphygmicæ artis  
culans: sed non apparet tamen esse talis, propterea  
quod admodum sit exilis, seu parvus: imbecillus e-  
tiam adeo, ut rudes frequenter homines confir-  
ment, pulsum non habere ægrotos, in quibus me-  
dici formicantem percipiunt. A formice tardo et  
minuto motu, nomen est adeptus. est enim omni-  
um minimus, tardissimus, languidissimus. Erant  
tamen nonnulli medici, qui ipsum celerem esse  
sunt arbitrii: decepti autem sunt crebritate eius,  
et paruitate. At sicut formica crebro pedes mo-  
uet, sed parum promouet, quoniam exile spaciū  
uix iusto tempore transcurrit: sic pulsus formi-  
cans, paruum motum ægrè, licet crebro, confici-  
ens, falsam celeritatis speciem præbet. Quod si  
quis hunc motum alteri qui fiat in corpore, uo-  
luerit comparare, ipsum tremori manuum perfi-  
milem deprehendet. ut enim in eo facultas imbe-  
cilla, per breuiſſimum spaciū, effert manum cre-  
berrimè: ita in formicante pulsu, ob paruitatem  
et crebritatem, nulla inuenitur inter contrarios  
motus quies sensibilis. Sæpe autem conuertuntur  
in se mutuò, formicans et uermiculans. Vermicu-  
lantis enim extremus in paruitatem delapsus, for-  
micantem gignit: et primum formicantis ad ma-  
gnitudinem incrementum, uermiculantem produ-  
cit. Non tamen est necessarium, ut formicatē sem-  
per uermiculans præcedat, aut uermiculantem sem-  
per

## Liber primus.

55

performicās sequatur: quod nōnulli somniāt. Sed de  
hoc aliās erit sermo, ubi de causis pulsū agemus.

### DE CAPRIZANTE PVL=

su. Cap. 21.

 *Ognadiswv, id est, caprizans, ex duabus  
compositus est inæqualitatibus: sed longē  
diuersis, ab ijs quas paulo ante recensuimus. Est de  
generi intermittentū in uno pulsu, quos interpel-  
lat quies. Erant autem superius nouem illorum u-  
niuersæ differentiæ: ex quibus due sunt, que ca-  
prizantes antiquitū sunt uocatæ, quinta & octa-  
ua: quarum altera quiete media motus, celerita-  
te distat à priore. Non sufficit uero, quò caprizans  
euadat, sola celeritatis inæqualitas, nisi accedat &  
uehementia secundi motus, maior priore. Adtri-  
butum est illi nomen à similitudine caprarum, que  
geminō motu interdum uidentur salire. Effert e-  
nim se primò capra, dum alteram adoritur ca-  
pram: ac priusquam impetum perficiat, quem in-  
cœpit, se modice retinet: dum aut desinere prorsus  
à motu uidetur, mox altero longē celeriore & for-  
tiore irruit.*

### DE SERRANTE PVL=

su. Cap. 22.

**S**Errans seu ēuengiwp, illam in primis inæqua-  
litatem sortitur, que in uno pulsu est, sed  
in diuersis arteriæ partibus, motu interciso:

e 4 cuius

cuius quatuor differentias in schemeate superius des-  
pinximus. Aut enim primus digitus motum sentit,  
et tertius, secundus autem non, nec quartus: aut  
primus, tertius et quartus, non autem secundus: aut  
primus, secundus et quartus, non autem tertius: aut  
primus et quartus, non autem secundus et tertius.  
Præter hanc habet et alteram in tunica inæquali-  
tatem: est enim inæqualiter durus. habet et tertiam  
ex mutato situ, quoniam est tensus: tenditur autem  
sursum et deorsum, id est à pollice ægrotantis, et  
ad pollicem. Iam ijs omnibus iunctis, necesse est  
qui tangit huiusmodi pulsum, ut concipiat imagi-  
nem rei cuiuspiam, quæ serrat tactum. Sic enim et  
serræ ( quarum partes pectinatim sunt distinctæ  
ueluti dentes ) serrant, seu secant, dum tenduntur.  
Miror autem, cur Galenus in libro de Differen-  
tijs pulsuum, silentio præterierit serrantē pulsum,  
quum alias multa ipsum significare docuerit.

DE SPASMO ET VI-  
brato pulsu. Cap. 23.

**S**pasmosus, spasmosus seu cōvulsivus, quem  
alij retortum uocant, duplicum inæquali-  
tatem est affecutus: sed utramq; ex mutato situ ar-  
teria. tenditur enim sursum et deorsum, id est, à  
pollice ægroti, et ad pollicem. Effertur etiam, seu fle-  
titur in altum, sicut efferriri seu eminere dicuntur  
ten-

# Liber primus.

57

tendines & nerui in spacio manuum uel pedum.  
Atq; haec duæ situs mutationes ipsi sunt peculiares.  
Accedit nonnunquam & tertia dextrorum uel si-  
nistrorum deflexio.

Ktorwolus uero, id est uibratus, quem alij turbis  
lentum, quidam inepte ramosum, Auerrois arcua-  
tum uocat, easdem habet, quas & conuulsuus, situs  
arterie uariationes: sed differt secundum magis et  
minus ab illo. Maior enim est tensio sursum et de-  
orsum conuulsiuo, minor uibrato: ecotram maior est  
eminentia in altum, ueluti in arcu, uibrato, minor  
conuulsiuo. Memineris autem, dum dicimus sursum,  
uel deorsum, ut intelligas a pollice, & ad pollicem  
agroti: dum uero dicimus in altum, eminentiam,  
que cutim uersus est, intelligimus. Adsunt & aliæ  
complicatae inæqualitates in uibrato, præter duas  
prioress, nam alia pars uchementius, alia remissius,  
alia celerius, alia tardius pulsat. Et quod illi est  
proprium, partes arterie quædam in altum pete-  
re, quædam demitti uno eodemq; tempore uidetur:  
quod ita accipias. Arteria in uibrato pulsu exilit  
suprà, ad cutim scilicet, quam & secum effert ex  
sede sua, iterumq; intro retrahitur: quod nec con-  
stituto tempore seruat, nec interpollatim, sed uno  
eodemq; momento. alia eius pars fertur suprà ad  
cutim, ueluti eiaculata: alia intrò uidetur ferri, ue-  
luti à quopiam retracta. atq; una ualidius ferit, a-

e s lia

## Sphygmice artis

lia remissus, alia tardius, alia celerius. Quod si quoquo modo depingi hæc possint, pulsus conuulsus similis est dum distenditur, lineis incurvatis modice, utring; tensis , uibratus uero lineis multum inflexis in altum, & acuminatis . cuiusmodi etiam figura est chordæ in arcu fortiter tenso, seu uibrato, qua parte ei sagitta opponitur acuminatæ. Hoc uero usuue nit, quod aliquando unica sit uibratio arteriæ, uel duæ, id quod in expurgiscentibus subito à somno subinde uidere est. Aliquando unam plures subsequntur in diuersis partibus arteriæ, quarum non est constans & perseverans distensio, nec contractio: sed aliæ partes exiliunt, aliæ eodem momento desiliunt. Quod autem paulo uerbosius de hoc pulsu loquamur, causa est, quoniam multa indicat in ægrotis, & multi sunt hallucinati in descriptione eius. Nos quæ rationali methodo, et mul torum annorum experientia sumus consecuti, non grauatum omnibus communicamus.

## DE TREMENTE ET PALpitante pulsu. Cap. 24.

**C**or et arteriæ in sanis nullo alio cietur motu sensibili, quam distensione et contractione, ex quib. pulsus constat. In ægrotis uero saepius cor et tre mere et palpitare uidetur. Arteriæ hoc nō ita conspicue ostendunt. causam postea declarabimus: tamē

# Liber primus.

59

et ipsis saepe usuuenit, ut tremat et palpitet. Sunt autem palpitationes & tremor, motus longe diuersi à pulsu, q[uod]b[ut] pulsus definitio neutiquam copetit: quorum natura et discrimen copiose edisseruit Galenus libro de Symptomatu causis secundo. Extat etiam integer Galeni liber de tremore, palpitatione, conuulsione et rigore: quare non est cur hic prolixius de ijs agamus. hoc dixisse sufficiat, dum ad motum cordis et arteriarum proprium, qui pulsus dicitur, accedit uel tremor, uel palpitatione: erit tamen motus ex utrisque cōpositus, q[uod] à Graecis σφυγμός παλπατίον ἡ τρομίσθια, à Latinis pulsus palpitans, aut tremulus appellatur. Inter inaequales uero cōpositos, ppter ea illis locū dedimus, quoniam tremor et palpitatione, inaequales uariationes magnitudinis uehemētiae et crebritatis efficiunt. Saepe fit autem, ut palpitate corde, aut tremete, arteriae nec tremat, nec palpitet: ac diuerso, palpitatib[us], aut tremetib[us]. arterijs, cor nihil tale percipiat, de quo infra.

## DE HECTICO PVL-

su. Cap. 25.

**V**T febrē hecticam uocamus, quae semper sui est similis: sic pulsum heticum, qui constanter idem manet, nec nouas per interualla mutationes ueluti accessiones facit. perpetua enim est in eo, & perseverans arteriarum agitatio, cuiuscumque speciei sit. Ad hoc enim ut sit hecticus, constantia illi et perseverantia opus est. nihil autem refert, cuius sit generis, uel

uel speciei, seu differentie. Sunt tamen tres compo-  
sitorum pulsuum differentie, que solēt s̄epius in a-  
liquibus ægrotis fieri hecticæ, id est perseveranter  
cædem, & semper sui similes.

Magnus, Celer, Creber, Vehemens, Durus  
Paruus Creber, Debilis Durus  
Paruus Celer Creber Debilis Mollis.  
Isti uero sepe inæquales sunt aut absoluta inæqua-  
litate, aut certi alicuius generis, præterea inordi-  
nati. Hæc porro omnia que de hecticis pulsibus di-  
cuntur, exactè intelligit, qui ea que ante à nobis di-  
cta sunt, diligenter est scrutatus.

DE STREPENTE PVL-  
su. Cap. 26.

**M**eminis Galenus & strepētis pulsus duo-  
bus in locis, quem & nos s̄epius animad-  
uertimus in ægrotis. sit aliquando cum tensione ar-  
teria, aliquando sine tensione, non tamen absq; du-  
ritie. Maior est, & uehementior, cum quodā uelu-  
ti strepitū sub digitis: quæ autem eius sit causa, &  
quid significet, infrà dicemus. Est uero strepitus, ut  
sonus, res longè diuersa à motu, accidens tamen mo-  
tus. Noluimus aut ad finem libri huius silentio pre-  
terire strepētē pulsum, quoniam certa etiam li-  
cebit medico ex eo sumere præfigia. At quod ali-  
qui & stridentes pulsus, graues, leues, obtusos, acu-  
tos,

# Liber primus.

51

tos, fингunt et iactant, mera deliramenta sunt, que  
Chymoram oлent.

## DE DIFFERENTIIS PULSuum

à Galeno excogitatis, quas ueteres obmiserunt. Cap. 27.

Am equidem omnes in æqualitatibz pulsuum species, que medico ad præagiendum sunt utiles, declarauimus: imò omnes pulsuum differentias, que cuncti medicis usui esse possunt, ita luculenter expressimus, ea methodo, ut si quis hæc nostra ab initio ad finem libri primi commentaria diligenter legerit, facili negotio possit omnium pulsuum constitutionem in uno schemate seu tabula depingere: id quod nos etiam seorsim fecimus, tum nostræ tum aliorum studiosorum memorie consulturi. Constitutione autem, seu ῥυтoсo, ubi docetur, qui, quot, et quo ordine omnes pulsus constent. Nemo autem fuit hoc seculo, qui hoc præstisset: que causa est, cur doctrina de pulsibus seu Sphygmica inchoata à ueteribus, et probè exulta, iam longo tempore exoleuerit. Quoniam uero Galenus in fine libri primi de Differentijs pulsuum, alias quasdam in æqualites comminiscitur, præter has quas iam tradidimus, fuerit fortassis operæ precium, si et nos de illis aliquid differuerimus, uel ob hanc saltē causam, quod nemo quæ illic Latinè dicuntur, potest intelligere, licet summo studio singula uerba perpen-

## Sphygmicæ artis

perpendat. Andreas porrò Lacuna Gallus, in libro quo scripta Galeni abbreviare conatus est, qui iam paßim circūfertur, multa hoc loco necessaria omisit: et quæ erant apud Galenum coniuncta, separavit, ueluti scopas dissolutas: et ex Latinis nō omnino bonis, pessima fecit. Summa autem eorum quæ ibi à Galeno traduntur, hæc est: Varietas pulsuum tum in rhythmo, tum in genere raritatis et crebritatis, quæ in uno pulsu sit, non tamen in una, sed in pluribus partibus arteriæ, quas diuersi contingunt digiti, ita se habet. Aut enim partes arteriæ omnes simul motum incipiunt, aut aliæ prius, aliæ posterius. Si omnes simul incipiunt motum, quatuor erunt differentiæ, in rhythmo, et in crebritatis ac raritatis genere: si uero nō omnes simul moueri incipient, nascentur aliæ quatuor. Erunt itaq; octo eorum in utrovis genere differentiæ, quas sigillatim explicemus.

Prima differentia.

**S**i partes arteriæ omnes simul moueri incipiunt, sed non æqualibus temporibus moueantur, ita ut aliæ breuiori, aliæ longiori tempore sint in motu, secundam autem distensionem simul etiam incipient, duo erunt genera in æqualitatis in pulsu (in æqualis enim erit rhythmus, in æqualis etiam crebritas et raritas) hæc autem inæqualitas tum cognoscetur, dum facta et finita sit prima

# Liber primus.

63

ma distensio, incipiat autem secunda. Non tamen in secunda consistit: indiget tamen ad hoc ut cognoscatur, distensione secunda. Priusquam enim incipiat secundus pulsus, finis prioris nequit cognosci: quam diu uero finis est incognitus, crebritas, raritas & rhythmus cognosci non poterunt. Rhythmum uero intelligas proportionem temporis, quo perficitur distensio, ad tempus interualli. Quid uero interuallum sit, docuimus capite nono. Quare non mirum est, si circa generationem inæqualitatis, quam diximus, necessarium sit expectare principium secundæ distensionis: non propterea tamen systematicam, seu congestitiam eam nominare oportet. Priusquam enim prorogetur secunda distensio, in ipsis initio statim agnoscitur: ut non sit opus nobis secundo pulsu, nec tertio, nec alijs deinceps: quoniam in unico primo perficitur. Propterea ergo dixit Galenus, quando omnes partes simul moueri incipiunt, & in prima et secunda distensione, non æquale aut tempus motus fuerit, duorum generum inæqualitate, pigni, crebritatis quæde et raritatis, ea ob causam, quod interualla sunt inæqualia: rhythmus uero ab hac, quod tempus distensionis & interualli non sunt æqualia. Tempus enim motus, partis que primum definit moueri, minimū est: maximū aut eius, que ultimò moueri definit. Aliarū aut partium temporum motus, se habet iuxta proportionem, prout scilicet

scilicet queq; abest à prima, aut ab ultima. Diuersum est autem de temporibus quietū. maiora enim erunt tempora quietum, earum partium, quæ primò moueri desinunt: minora autem earum, quæ ultimo moueri desinunt. Si igitur tempus motionis minimum, partis quæ primò moueri desit, comparetur tempori maximo quietis eiusdem partis: tempus autem motus ultimæ partis maximum omniū, si conferatur minimo tempori quietis eiusdem partis, impar efficietur siue inæqualis rhytmus singularum partium: quoniam proportio temporis motus, & temporis quietis, non est æqualis.

## Secunda differentia.

**S**i uero prima distensio in omnibus partibus arteriae simul motum incooperit, non æquale etiam sit tempus motus earum partium: sicut in prima differentia diximus. At secunda distensio non simul in omnibus partibus motū inchoat: sed prius quidem in ea quæ prior quieuerat, & tanto prius, quanto prius quieuit: secundò uero in ea quæ erat secunda ad quiescendū, in priori distensione, & sic deinceps. Inæqualitas in rhytmo erit hoc pacto, in raritate & crebritate nō erit. tempus enim quietis, quum in omnibus sit æquale, nullam faciet crebritatis et raritatis uarietatem. Non tamen eadē erit proportio temporis motus, cum tempore quietis: siquidem motionis tempus inæquale erat omnibus,

## Liber primus.

65

bus, ut presupposuimus: quietis uero æquale. proinde non æqualis erit omnibus rhythmus.

### Tertia differentia.

Si autem omnes simul partes arteriæ motum incooperint, sed denuò in secunda distensione non simul omnes incipient, neq; simul omnes primam percipient, seu terminet, neq; æquale sit tēpus quietis in omnibus: duplēcēm necesse est hoc modo constitui differentiam, crebritatis quidem, & raritas, circa utramq; in æqualitate permanente: nō autem ex necessitate rhythmī in æqualitas accedit. Contingit enim, tempora motus omnium partium, eadē proportiō se habere ad tēpora quietū seu interuallorū (nam interuallū à quibusdam etiam quies uocatur) quod si hoc cueniat, erit quoq; rhythmus æqualis: dum autem nō seruatur eadem proportio temporis motus, & temporis quietis omnium partium (nam & hoc aliquando fit) perm̄utatur hoc pacto & rhythmī æqualitas.

### Quarta differentia.

Si autem omnes simul partes moueri incipient, & æquali tempore moueantur, in secunda autem distensione non omnes simul partes motum incipient, sed aliæ prius, aliæ posterius, rhythmus nō erit æqualis hoc pacto, nec raritas & crebritas æqualis. hanc enim in æqualē facit quietū tēpus in æquale. rhythmum uero in æqualem facit, diuersitas

f sen

seu permutatio proportionum: quoniam æquali tempore omnes partes sunt motæ, sed non æquali tempore quietuerunt. Tot sunt igitur differentiæ inæqualitatis in uno pulsu, utriusque generis (rhythmi scilicet, & raritatis ac crebritatis) quando scilicet omnes partes arteriæ simul motum distensionis incœperint.

De quatuor reliquis differentijs.

Quatuor sunt aliæ inæqualitatis pulsuum differentiæ in crebritate ac raritate, & rhythmo, diuersæ à prioribus. Nā in ijs prioribus, quas iam edisse ruimus, omnes simul partes arteriæ motum distensionis incipiunt: hæ uero, quas nunc dicturi sumus, fiunt, dum non omnes simul partes arteriæ distensioni incipiunt, sed aliæ prius, aliæ posterius.

Prima igitur est, quando pars arteriæ, alia prius, alia posterius distensionem incipiat, quam simul omnes terminant, seu perficiunt: secundam uero distensionem omnes simul incipiunt. In hoc casu rhythmus inæqualitas tantum aderit, crebritatis autem & raritatis minime. Nam motuum interualla seu quietes, quum omnibus in partibus sint æqua, nulla poterit in hoc genere inæqualitas constitui. Quū uero æquale sit tempus quietis in omnibus partib. in æquale autē tēpus motus singularum partiū, collatum cū tempore quietis, inæqualē proportionem rhythmus in singulis partib. conficiet.

Secunda.

# Liber primus.

67

## Secunda.

Si autem eodem modo arteria inceperit secundam distensionem, quo priorem inceperat, ita ut eadem pars primò moueri incipiat in secunda distensione, quæ etiam in priore motum inceperat: secunda etiam sit ad motum, quæ in priore distensione, erat quoque secunda: id' que obseruetur in omnibus partibus, si simul à prima distensione quieuerint, necesse est utroque in genere fieri inæqualitatem. Totum enim tempus, quod constat ex tempore motus, & tempore interualli, & quale erit omnibus partibus arteriæ: sed inæquales proportiones temporum motus, cum temporibus quietis, quoniam totum tempus, quod ex utrisque constat, non in æquas portiones secatur. nam tempus motus earum partium quæ prius motum inceperunt, maius erit tempore motus earum partium quæ posterius motum inchoarunt: minus autem erit tempus interualli. Diuersum autem erit in ijs partibus, quæ posterius motum inceperunt. In ijs enim minus erit tempus motus, sed maius tempus quietis. Proinde necesse est, & rhythmum esse inæqualem circa singulas partes, & raritatem & crebritatem inæqualem, quatenus tempora interuallorum sunt inæqualia.

## Tertia:

Si autem secunda distensio eodem modo motum

251

f 2 partium

partium incepit, ut prima, id est in utraque eadem pars sit prima in motu incipiendo, quæ erat etiam prima antea: eadem quoque secunda, quæ in priore erat secunda, non sit autem finis prioris distensionis omnibus partibus æqualis, quoniam non omnes simul partes à motu quiescant, duæ erunt hoc pacto differentie. Potest enim multo prius quieuisse pars, quæ prima motum incepit. Postea posterius quiescere. Si ergo tanto prius quieuerit, quanto prius incepit motum, in utroque genere erit æqualis pulsus, in rhythmico scilicet, & in crebritate, ac raritate. Si autem, quæ prius motum incepit, etiam multo prius quieuerit, generabit inæqualitatem in utroque genere. Si uero quæ motum prius incepit, posterius quiescat, duorum generum omnino inæqualitatem procreabit, siue paulo quiescat posterius, siue multo.

## Quarta.

Si autem non simul in prima, nec simul in secunda distensione, omnes partes motum incepint, contingit aliquando rhythmum æqualem fieri, & crebritatem ac raritatem æqualem. Nam si ita impertita sint tempora motus, & tempora quietis, ut eadem sit utrorumque proportio, fiet tum rhythmus æqualis: si autem sola tempora quietum fuerint paria, æqualitas tantum erit in uno genere. sed hæc raro eueniunt: inæqualitätes

# Liber primus.

69

tes autem crebrò & multæ. Etenim omnes partes possunt simul à motu desistere, possunt etiam non simul. Ac si quidem non simul desistant, alia prius, alia posterius desistet: alia multo prius, alia multo posterius. Quales autem, & quot inæqualitates in talibus fieri possint, ex ijs quæ iam diximus, facile comperies.

Hæ sunt à Galeno recens excogitatae inæqualitatis pulsuum differentiae: quas propterea, ut ego opinor, ueteres obmiserunt medici, quoniam sunt inutiles. Neque enim ad tactum promptè & exactè percipi possunt: cogitatione eas optimè consequimur, sensu minime. nec si percipientur, aliud quid ex ijs serij prædicti potest, præter hoc, quod ex inæqualitate singulari in diuersis partibus arteriæ prædicere solemus. Alioqui si utiles fuissent ad præsagiendum, hæ à Galeno reperte inæqualitates, & ipse ad eum usum eas, ut cæteras, adhibuisse. Non adhibuit autem, ut uidere est per omnes libros eius: proinde nō est cur in indagādis illis nos tantopere faciat sollicitos. hoc uero, quantum ad æqualitatem uel inæqualitatem rhythmorum adtinet, intelligendum esse uolumus. Nam ut uerum fatear, alia ratione rhythmī æqualitatem & inæqualitatem, metitus est ipsem Galenus, dum serio de eis est locutus: id quod ex nono & decimo huius libri capite abundè percepisti. At quod æ-

f ;      qualitatem

70 Sphygmicæ artis  
qualitatem uel inæqualitatem crebritatis & rari-  
tatis in uno pulsu spectat, facile est hoc & utile ta-  
ctu perpendere, cum propter alia, tum maxime ut  
undosum, uermiculantem, uibratum pulsū cognoscamus. nam hæ inæqualitatis species in compo-  
nitonem istorum ingrediuntur.

Libri primi artis Sphygmice finis.

S P H Y G M I C A E  
ARTIS LIBER SECUNDVS, IO-  
sepho Struthio Posnanienfe  
authore.

Cognitio pulsuum quare difficilis.

Cap. 1.



Ognitio pulsuum duplex est: altera  
quæ fit ratione, altera quæ fit ta-  
ctu. Quæ ratione colligitur, ea non  
minus philosophis, quam medicis  
competit: banc libro primo tracta-  
uimus. quæ uero sensu fit, ea solis medicis est pro-  
pria. Exercenda uero simul est ratio & tactus  
in medico, ut non solum cogitatione discernere,  
sed etiam sensu experiri singulas pulsū differen-  
tias ualeat. De sensitiva igitur pulsuum cognitio-  
ne, hoc in libro nobis sermo erit, quæ reuera est o-  
perosa & difficilis, quatuor de causis. Prima est,  
quoniam

## Liber secundus.

71

quoniam longo tempore acquiritur. non enim se quisquam iactet, quod spacio aliquot mesium eam sit consecuturus: diutima & continua digitorum in adrectando exercitatione opus est, non secus quam in arte citharœdica, cuius initiatus, difficultatem in edenda harmonia, notis musicis seu scripto sibi facit faciliorem: sonat enim facilius id quod à präceptore notatum & descriptum oculis intuetur, ac effingere studet, nec è memoria excidere permittit. Quod fit & apud Anatomicos, Astronomos, Geometras, Cosmographos, Architectos, qui picturis id quod docet, commonistrare possunt. Vnde sum aut pulsum, uermiculatum, serrantem, uibratum, caprizantem, ordinatum, inordinatum, æqualē, inæqualē, & alios omnes quomodo quis depinget? ac digitis adrectandos, quo nam modo exhibebit, nisi in manu ægroti? Secunda causa, quoniam infinita est pulsuum multitudo, tam simplicium quam compositorum, ordinatorū, inordinatorū, rhythmorum, æqualiū, inæqualiū, singulariū, systematis corū: qui tamē omnes tactu sunt disquirēdi, cognoscendi. Porro quæ pauca sunt, facile: quæ uero plus rima, ægrē et difficerter assēqmur. Tertia, quæ sensu cognoscuntur, quæ admodū soni auditu, colores uisu, pulsus tactu, non omnia uerbis exprimi, proinde nec per präceptorem tradi discipulis possunt.

Quarta: pauci extat scriptores q' arte cognoscens

f 4 dorum

dorum pulsuum conscripserunt, ex Latinis & Ar-  
rabibus nemo, ex Græcis solus Galenus: qui quoni-  
am sophistarū et cauillatorū errores exterminare  
non minus studuit in suis libris, quam uera præce-  
pta tradere, coactus est multa obiter dicere, multa  
refellere, multa non ex proposito adiucere. hoc pa-  
cto autem protraxit & obscurauit uerā doctrinā. Li-  
cet autem difficilis sit, ob has quas diximus causas, ars  
cognoscendi pulsus, propterea tamen desperanda  
non est: commune enim hoc multis est. Immò natu-  
ra ita cōparatū est, ut quāto aliquid sit pulchrius,  
tanto difficilius. quod abiit Græcis in prouerbium  
λύσονται τὰ ναζά: id est, Difficilia quæ pulchra.  
Non ne innumeræ sunt apud Musicos sonorum  
differentiæ? nihilominus uidere est pañim citha-  
rēdos perfectissimos, qui singulas referūt, & equi  
dem concinne: nimirum labor omnia uincit. Porro  
quod obijcitur, sermone exprimi nō posse omnia  
per præceptorem quæ ad sensum pertinent, nō est  
quod te deterreat. Sufficit enim, et si non omnia, ut  
saltem potiora exprimantur. Nam quis formam  
cuiuspiam hominis oratione exacte posset efferre,  
aut equi. At tamen sufficit, dum proclamat equus  
fugitiuus, audire, niger erat, cæsijs oculis, tergo &  
pectore amplo. Nos etiam, quanto fieri poterit  
cōpendiosus, arte adrectādorū pulsuū tibi cōscri-  
bemus, rescißis ijs que minus sunt necessaria.

DE QVATVOR ARTIS DIAGNO=  
sticæ pulsuum principijs. Cap. 2.

**Q**atuor sunt pronunciata, siue axiomata,  
quibus præter alia utendum est loco prin-  
cipiorum seu elementorum, artis diagnosticæ pulsu-  
um, quæ probatione non egent: per ea uero multæ  
in arte probantur. Nam nec mathematici probant  
sua principia, Totum est maius sua parte: Quæ uni-  
cuiquam sunt æqualia, ea etiam sibi inuicem æqua-  
lia sunt. Nec medici in parte artis medicæ thera-  
peutica probant, Contraria contrarijs curantur.  
Sufficit uero ad intelligenda principia uerborum  
interpretatio, et declaratio breuis, per signa, exem-  
pla, similia, sensum, & id genus alia, causa eorum  
qui contradicunt.

Primum principium est, τὸ σφῆνος ἵπποι πέπειρ  
τὴν ἄφην τὴν διατολὴν τῆς αὔτηνίας, διὰ μηδὲν μό-  
νην. id est, Tactus non solum ictum arteriæ, sed eti-  
am distensionem, manifeste percipit.

Tactus hoc loco pro organo tactus accipi-  
mus, id est pro digitis medici, tangentibus pulsum.  
Distensio, est motus arteriæ in longum, latum, &  
altum. Ictus Græcis plaga dicitur, aut πλῆξις, id est  
percussio. Propriè uero medici ictum pulsus uocat,  
uiolentam percussionem, quæ euertit seu repellit  
tactus. Nam si uiolenta non est, non ita propriè  
ictus dicitur. Fuerunt olim tam stupidi quidam ho-

f s      mines,

mines, quales ex nostra tempestate sunt non pauci, qui dicebant, tactu se quidē sentire distensionem arterie (nā quis hoc negare potest) sed uera' ne sit illa distensio, se non planè scire. Nam quod tactui offertur, in quiunt, ictus solummodo est, sed uere ne in longum, latū & altum diducatur arteria, dubius sibi esse. At uero arteriam uerè distendi, tribus euidentissimis argumentis ostenditur. Primò, quia in hominibus gracilibus, in partibus eorum non carnosis, uidere est ad oculos arterias distendi. Iam qui non credit sensui, stultus est, ut ait Aristoteles: & quod ait Timon, τὸ φανό μονον πάντη οὐ εἰς. id est: Quod exactè uidetur, certū est. Secundò sentimus pulsus uerè lōgos, breues, altos, humiles, latos, angustos: ergo arteriā uerè distendi sentimus, quoniam hæ sunt différētiae distensionis. Tertiò sentimus pulsus inæquales magnitudine: ergo arteriam uerè distendi sentimus. Quoniam inæqualitas hæc propterea sentitur, quod partes arteriæ quædam plus, quædam minus distenduntur.

Secundum principium, αἱδητοπ εἰναι τὰὶ οὐρανὸι τὰὶ αἴρεται: id est, Contractio arteriæ sentiri potest. Huius hoc evidens est testimonium. Quandocunq; duo corpora mutuò se adtingunt, quorum alterum est durius, quod premit scilicet & penetrat, alterum mollius, quod premitur, cedit, & suscipit in se prementem materiam: fieri non potest,

## Liber secundus.

75

test, ut recessus penetrantis fiat subito & insensibilius. Secus est, si corpora illa se superficie tenus tantum contingant, quod palpare dicimus. illorum enim recessus ab eo quod palpant, subito & insensibiliter efficitur. At quae urgent, trudunt, eo quod duriora sunt, & fortia, dum recedunt ab iis quae truduntur (quae penitus recipiunt in se pungentem obicem) non recedunt subito & insensibiliter. Est enim tempus, quod intercedit inter initium discedendi, & finem: quo tempore toto sentietur motus utriusque, & recedentis scilicet corporis, & alterius sese ex pressura demittentis. In fine recessus dicere possumus, recessisse il lud quod pungebat: antea uero non potuimus dicere, nisi recedere, quamdiu motus sentitur. Quod si ista corpora in eo sint situ, ut quod premitur, sit molle & sursum: quod uero premit, durum sit et deorsum, in recessu eorum a se inuicem pressura definet: ac illa pars pressi corporis, quae cedebat pungenti seu prementi, decidet tanto procliuius & citius ab alto ad suum naturalem situm. Quod experiri tibi licet in uesticis, utribus, follibus. Nam si aere uel humore aliquo utre uel uesticā impleueris, eaque palaueris tantum, recessum digitorū momento temporis cōfici animaduertes. Si uero trudas digitis, et premas plenā humore uesticā, recessum digitorū animaduertes spacio temporis fieri, non subito. Videbis præterea

## Sphygmicæ artis

terea moueri pressas partes uesicæ, non solum dum imprimis digitos, sed etiā dum retrahis. Iam uerò arteria in pulsu, sit tibi ut imprimens corpus: pulpæ uerò digitorum qua tanguntur ab arteria, truduntur & premuntur, sint tibi loco uesicæ. Dum arteria se contrahit, iuste potes dicere eam recedere: dum uerò se contraxit, dices eam recessisse. Erat igitur tempus unum quo recedebat, & pulpæ digitorum tunc se demittebant: aliud tempus quo recessit, & caro digitorum tum ad naturalem suum situm rediit. Quod si ita est uti diximus, uerū erit quod ueteres prodiderunt, quod scilicet omnis pulsus uehemens sensibilem habet contractionem, debilis nullus. causa in promptu: quia debilis arteria non premit digitos, nec in carnem eorum penetrat, cutim solummodo superficie tenus palpat. Licet autem omnis pulsus uehemens sensibilem habet contractionem, alius tamen alio plus minus, pro diuinitate magnitudinis, tarditatis, duricie. Nam aperi-  
tissimam omnium contractionem habet, qui est ue-  
hementissimus, maximus, tardus, durus. Ratio pri-  
mi: quia uehementissimus pulsus carnem & cutim  
digitorum fortiter ferit, & penetrat intimius. Se-  
cundi, quia in maximo pulsu maior est descensus  
pulpæ digitorum, & maiores motus melius percipiuntur. Tertijs, quia in tardo pulsu longiori tem-  
poris spacio motus conficitur, & tum exactius sen-  
titur.

titur. Quarti, quia duriora corpora percusſionem sensibiliorem faciunt, quam ea quae mollia sunt. Alij autem pulsus tanto magis uel minus sensibilem contractionem habent, quanto plus uel minus eorum quae enumerauiimus participant: id est, quanto plus uel minus accedunt ad uehementiam, magnitudinem, tarditatem, duriciem. Sunt etiam uehemen- tie non paria incrementa: quare uehemens pulsus apertam & manifestam habet contractionem, ue- hementior apertorem, uehementissimus apertissi- mam. Pulsus uero in omnibus generibus moderatus, qualis est in tabula compositorum pulsuum se- cundus, quem ex libro primo nosti, subobscuram habet contractionem, quae tamen a bene exercita- to medico sentiri potest. Hoc loco uero silentio ob- mittendum non est, errasse complures medicos La- tinos & Arabes, qui aiunt, primum omnium Gale- num nouisse contractionem pulsus. Quasi uero an te Galenum non fuerint plurimi medici contra- ctionis peritissimi. Et Galenus in libris de Pulsi- bus aliquoties instituens disputationem contra me- dicos, aliter instruit orationem contra peritos con- tractionis, aliter contra imperitos.

Tertium principium, ενθάδε τὸν ἀλογόνον τὸ τῆς συστολῆς πέρας, ή τὸν τῆς διαστολῆς αὐτὸν. id est, Finis contractionis et initium disten- sionis non sentitur. Confirmatio huius principij ex

Anato-

Anatome petitur, ex qua constat, omnes quidem arterias moueri, distendi scilicet, & contrahi, non omnium tamen motum esse sensu perceptibilem. Hæc enim moueri tatum sentiuntur, quæ proximæ sunt ad cutim: quales sunt in carpo manus, in temporib. in plantis pedum, in collo: in naso ad angulum oculi rū internū. Nam quæ in profundo sunt corporis, neutiquā tactui obijci possunt, nisi extreme corpus emarcuerit. Constat etiā ex Anatome, quod natura instrumento, quod in omnem partem distendi operet, arteriæ scilicet, parauerit amplum spaciū, siue locū, aut si mauis dicere regionem, in qua motum suum perficeret. Alioqui frustra natura vim motricem arterijs inservisset, nisi de loco, seu spacio illis ad motionem apto prouidisset. Intellige autem illud spacium arteriæ in carpo aut temporibus, esse inter cutem & arteriam, quod in macilenta aere repletum est, vaporibus & humoribus, in crassis uero etiam carne & adipe. Qum igitur motus distensionis primū fiat in spacio illo naturali, deinde in carne, adipe & cute adnata, postremò in carne digitorum medici, quam ingreditur arteria: constat, nos eum tantum motum sentire, qui ascendit in carnem digitorum nostrorum: illum uero nequaquam, qui fit in spacio naturali, carne & adipe adnata. Quod si fortiter applices digitos, ut spacium arteriæ naturale constringas.

gas & destruas, quod non tolerant nisi uehementes pulsus: carnem tamen & adipem, ad quam arteria ascendit, & quæ locum dat distensioni, auferre non poteris. Palam est igitur, distensionis initium propterea sentiri non posse, quod spaciū in quo sit, tactum nostrum subterfugiat. Quod si ita est, neque finem contractionis sensu percipiemus: quoniam in quo spacio est initium distensionis, in eodem est finis contractionis. Idem sepe accedit & alteri sensui, nempe uisui: qui totam motus magnitudinem conspicere non potest plurimorum corporum, quando totum spaciū in quo sit motus, uidere sibi non datur.

Quartum principium, τὸν μὲν ἐντος οὐ-  
γίαρδην αἰνεῖσθαι θεωρῶσι οὐτόπε-  
νος, τὸν δὲ εὐτὸς σὺν τοῖς αἰνεῖσθαις μέροις  
ἐνατέρας τῶν πινήσεων. id est, Externam quies-  
tum integrā cognoscet, qui aptè manū ap-  
plicat: internam uero unā cum partibus, quæ  
non possunt sentiri utriusque motus. Quies-  
tum sentitur, quando motus abest. iuxta illud  
Aristotelis, τὸ πονχάσον αὐτὸν αἴτην, ὡς οὐ πινή-  
σεων. id est, Quiescens sentitur, quia non mo-  
uetur. Est uero quies alia uera, dum scilicet  
motus non sit, nec sentitur: alia apparens, dum  
motus quidem sit, sed à sensu non percipitur. Intra-

quies

quies, siue interna pulsus, constat partim ex uera quiete: cessat enim et quiescit uerè arteria, post cōtractionem, ante quam distensionem incipiat. partim ex apparente: & ea equidem gemina, sine scilicet contractionis, et principio distensionis, quum utraq; hæc pars motus sit quidem, sed à tactu non percipitur, ut antea demonstrauimus. Tres autem hæc partes quietis inferæ, una uera, et due apparen-tes, tactu discerni à se inuicem non possunt: quoniam tam in uera quiete, quam in apparentibus duabus, non sit diuersa in tactu affectio, sed sui similis perseverat motus absentia. Verum est igitur, quietem inferam nunquam solam sincere à tactu percipi, sed cum duabus apparentibus. At uero exteri-nam quietem ( que fit post distensionem, ante quam incipiat contractio ) quia nullas habet par-tes motus insensibiles, sibi intermixtas, potest di-gnoscere integrum exactè, qui apta usus fuerit ma-nus applicatione: de qua iam dicemus.

## DE APPLICATIONE MANVS

ad pulsum. Cap. 3.

**Q**vas Græci ἐπιβολὰς χρόνος, Latini appli-cationes manus, et cōrectationes uocant. Sunt autem tres earum differentiæ: comprimens, suspenſa, & media. Comprimens, quam alij uiolen-tam uocant, fit, dum digitis nostris premitur arte-ria. Suspenſa, quam Græci ηένωντα uocant, fit, dum super-

## Liber secundus.

81

superficie tenus tantum arteriam digitis contingimus, nihil deprimentes. hanc nonnulli palpantem appellant. Media inter has est, quæ aliquousq; deprimit arteriam, sed non ita profunde ut prima. Differunt autem hæ applicationes à se inuicem, hoc pacto. Quoniam prima, compressione destruit, & abolet spacium naturale, in quo mouetur arteria, quod sub cute est: ita quod necesse sit arteriam, si potens est, prossilire & penetrare in pulpani ditorum tangentium, ut ibi spacium seu locum ad mouendum habeat, quum nullus motus esse possit absq; loco, ut docet Aristoteles. Secunda uero sinit illum locum naturalem, seu spacium esse integrum. Tertia, spacio illi naturali auferit partes superiores, relinquit uero inferiores.

Nec uero hoc duntaxat scire de manus applicatione sufficit, quin etiam figuram manus considerare oportet. Est autem figura manus ægroti altera supina, altera prona, Græci dicunt ἡπτιον χερῶν τῆς χειρὸς, οὐ πηνύες. Vtragi uero in usu est apud medicos, sed pro diuersis pulsuum differentijs, ut postea dicetur. Oportet enim medicum, manum ægroti nunc supinam tangere, nūc pronam, nunc in latus erectam uertendo manum, & inuentendo. Sit porro manus ægroti libera ab omnibus uoluntarijs motibus, & soluta, quam medicus sinistra sua manu modice sublatam sustentet. Nā si æ-

g

grotus

grotus viribus suis manum sustentabit, accidet sub=inde ut tremat: hoc pacto autem variabitur pulsus. Digitos uero suos aegrotus nec flectat multum, nec distendat, sed in naturali forma retineat: naturalis autem forma est, dum nec in pugnum nimis contra huncunt, nec in palmam nimis distenduntur, sed modice manent inflexi, ut uidere est in somno hominum sanorum. Contracti enim digiti eleuant arteriam carpi, motu musculorum et tendinum: falsam igitur altitudinem pulsus praeseferet, distensis uero digitis, arteria intre fertur. Praestat igitur ad naturalem figuram manum aegroti componere.

Molles etiam sunt digiti medicorum oportet, persim pulpa digitorum mediae, quibus pulsus contingimus. Ridiculum enim est, quod quidam faciunt medici, extrema digitorum, quae unguibus sunt proxima, arteriae applicantes, interim autem auertunt pulpas digitorum medias (quas quidam uentriculos digitorum appellat) quae sensum obtinet omnium corporis partium exquisitissimum. has arteriae applicare oportet: haec quanto fuerint moliores in sano medico, tanto erunt capaces. cedunt enim, et recipiunt facile prosilientem in se arteriam. Iam sicut natura est comparatum, ut aliis alio melius uel deterioris uideat, audiat, olficiat: sic etiam sunt qui tactu excellant alios. sunt porro illi quos uocant aristoteles. Quare absurdum

absurdum est, medicum manibus suis ea opifícia ea  
xercere, quibus callus obducitur digitis, qui obstat  
sensui. Tales autē iam paſsim uidere est multos, rei  
domesticæ intētos. sed sic medicus eiusmodi labo-  
riosus iudicabit de pulsib. sicut cæcus de coloribus.

DE PRIMIS MEDICI IN DI-  
gnoscendis pulsibus progymna-  
sinatis. Cap. 4.

**Q**Via dixinus ab initio libri huius, nos ta-  
ctu ipso debere addiscere pulsuum diffe-  
rentias, quales, et quantæ sint: quod idem est ac si  
dicas, experientia ipsa. Plurimū autem refert, in ex-  
periendo habere modū aliquem, seu uiam compen-  
diariā qua progrediaris. Nā infinitus esset labor,  
et procul dubio desperatus, sine delectu omnes  
paſsim attingere pulsus, et quasi in sylua ſpaciarī,  
uagariq; extra ſemitam. Proinde ut ſcias unde ti-  
bi ſit inchoandum, et quo progrediendum in hu-  
iusmodi exercitatione, præ oculis hæc, quæ dictu-  
ri ſumus, habeto.

Primum ante omnia diſquiras corpus, quod ſit  
optimæ constitutionis: quod quale ſit, noſti ex libro  
Galenii de Temperamentis, et ex libello de Optima  
corporis conſtitutione. Quærendum eſt autem  
huiusmodi corpus inter ruficos homines, foſſo-  
res, mēſſores, aratores, milites. raro enim taz-  
lia reperiuntur inter ciues & magnates. Qum

g 2 igitur

## Sphygmicæ artis

igitur nactus fueris, hoc quod diximus, quadratum  
corpus, coniungito ipsius pulsus, sed non obiter,  
neq; negligenter. Da operam ut hoc facias tum,  
dum arterie proprium suum motum, à nulla ex-  
terna causa immutatum, retineant. hoc autem fiet,  
si non longo in ocio antea corpus torpuerit, nec  
recens sit exercitatum, nec diu ieiunauerit, nec mo-  
dò comedenter: aer præterea temperatus sit, ipse de-  
niq; homo liber ab omnibus animi affectibus, men-  
te tranquilla, etate iuuenili. Comperies pulsus hu-  
ius hominis, per omnia genera moderatū, seu medi-  
um: ad quem si cæterorum hominum pulsus compa-  
raueris, erūt magni uel parui, celeres uel tardi, cre-  
bri uel rari, molles uel duri, debiles uel magis uebe-  
mentes. hic igitur pulsus hominis quadrati seu eu-  
crati, erit tibi norma & regula aliorum omnium.  
Si ipsum memoria retineas, ac frequenter adtingas.  
Tamen si enim corpora exquisite temperata raro  
nascantur, tamen quæ modicè ab illis deflectunt, se-  
pe uidere licet.

Posthac uero in contrectatione pulsuū hominum  
aliorū sanorum et ægrotorum quoruūcunq; te exer-  
ceas, ut scias quantū ipsorū pulsus absit à modera-  
to. Præstat aut noſſe pulsum ægroti naturalem &  
proprium, antequam in ægritudinem incidat. alijs  
enim aliter arterie mouentur, pro diuerſitate sci-  
licet naturæ: id quod ſcire oportet eum, qui cupit  
cognoscere.

## Liber secundus.

85

cognoscere, quantū cuiq; recedat à natura pulsus, dū morbo corripitur. Proprium autē & naturalem cuiusvis hominis pulsum exactè noscet, qui frequē ter eū attinget per sanitatem integrā, dum homo liber sit ab omni uchemēti motu. Quia uero non omnium hominū pulsus attingere ante ægritudinem medico conceditur (multi enim medicos sæpe desiderāt, cū quib. dum essent sani, nullū habuerunt cō merciū) neceſſe est igitur in promptu habere scientiam eorū quæ communiter multis insunt, quas cōmunitates Græci uocant, seu communes naturas: quarum quanto quisque fuerit peritior medicus, tanto plus præstabit alijs. Communis, uerbi gratia, natura est uirorum, communis alia foeminarū, communis item eorum qui calidore sunt temperamento, & eorum qui frigidore: communes sunt naturæ crassorum, alia gracilium: & rarum est in singulis communitatibus, quod priuatim omnibus non insit. Quare qui probè nouit commune, raro errat in priuato: nisi adsit monstrum aliquod à natura diuersum, qualia hæc fuerunt, quæ iam in medium proferemus, idq; studiosorum medicorum causa, ne aliquando decipientur, inscij eorum quæ raro contingunt.

Quū Patauij artem medicam, stipendio senatus Veneti publice profiterer, forte incidit in febrem Ioannes Starchouius, ex flava bile continuam. ad

g 3 quem

quem frequēs fuit ciuium & scholarium hominum  
concursus. erat enim uir nobilis & insignis, de mul-  
tis optimè meritus. Eius arterias cum adtingeret  
medicus quidam, reperit hominem asphyctum, id  
est pulsibus carentem: quare territus uehementer,  
coepit male polliceri de salute ægroti. existima-  
bat enim, concidisse uires eius uitales, ob mali-  
gnam & pestilentem morbi affectionem. Veni-  
& ego, ut inuiserem hominem à medico iam morti  
destinatum: qui ut me aspexit, illico exporrecta ma-  
nu, iubet adtingere pulsum suum. Ego uero, quia  
anteausus eram homine aliquot annos familiariter,  
noueram arterias ipsius exteriōres, profun-  
dissimè à natura immersas fuisse, & multa carne  
& adipe uestitas, ac propterea insensibiles semper  
extitisse. præcepi urinas mihi commostrari, priu-  
quam pulsum adtingerem. Dum uero signa coctio-  
nis manifesta conspexi in urinis (erat autem quar-  
ta dies ægritudinis) applicui carpo ipsius digitos  
meos, quasi pulsum adrectaturus, & paululum  
subridens dixi: Bono esto animo, breue enim tem-  
pus ægrotabis. At ille: Scio equidem, hoc quod di-  
cis, quid sibi uelit: nam breui tēpore ex hac misera  
Aegypto ad ccelum commigrabo. Quid ita? dixi  
ego. Respondit: Ita prædictit medicus. Ego uero re-  
spondi: Die crastina, dum hic unā aderimus, melio-  
ra tibi uaticinabitur. Postero die cum stata hora

con-

conueniſſemus, edifferui candidē medico illi, arte= rias hominis istius ægroti, natura ſemper fuſſe oc= cultas, meq; in integra eius ualetudine id certò ex= plorauiffe. quod dū ipſe ex me audiret, mutauit fen= tentiam, coepitq; meliora ſperare, ſe poſita febris uenenoſe ſuſpicioſe. Tandem communi noſtra ope= ra et conſilio, die ſeptima, ſuperis fauentibus, æger= noster morbo eſt ſolutus.

Reperi & Budæ in Vngaria, dum eſſem apud reginam Isabellam, militem quendam ſtipendiari= um, natione Italum, cui ſemper deficiens erat pul= ſus ſine ulla reciprocatione: quod ipſi nō natura ob= tigerat, ſed ex uulneribus. diſiectæ enim in utraq; manu illi iam olim fuerant arteriæ, quorum cicatri= ces ſupererant in medio cubito, à me non conſpe= ctæ, donec ipſem et de illis me certiore reddidit uer= bis ſuis, dum me adtrectantem carpu ſuum, uideret penſitare nōnihil, & hærere ſuper ſua ægritudine.

Erat Poſnaniæ apud Andreā comitē de Gorca, uirū inter omnes regni Poloniæ proceres primari= um, Shafecus etiā quidā hiftrio, demens à natura, cui ad pulſum, omniū generū inæqualitates ſemper a= derant, quantumuis ſanus eſſet. Et cū interrogaret me quodā tempore comes herus ipſius, qd ciferem de pulſu Shafconis, quē me adtingere tum uidebat: reſpōdi, Talis eſt ipſius pulſus, quale et ingenium.

Fuit etiam Poſnaniæ uir prouectæ iā etatis, Ia=

etobus Broſouius, de ordine Cruciferorum beatae Virginis, qui intermittentem semper gestauit pulsum, quoad uixit. Non diſſimilem nactus erat Gale-nus iuuenem, qui dum conualeſceret ex morbo, in-termittente pulsu, terruerat ſuos medicos, neſcien-tes à natura id ſibi eueniffe: de quo Galenus in li-bello de Præcognitione ad Posthumum.

Noui & Petrum Conarium, uirum nobilem in Polonia, qui in altera manu pulsum semper ha-buit tensum: nimurum tumor tophaceus ſub arte-ria illi ad os cubiti adcreuerat, qui uafa tendebat.

Dum eſſem apud imperatorem Thurcarum, Soltanum Suleimanum Sachum, comperi militem quendam Thurcicum, in acuta febri dicrotum ſem-per obtinuiſſe pulsum: qui poſt elapsam ægritudi-nem, nihil fuit immutatus, cum certis uere conua-leſcentis corporis indicijs: unde coniecturam acce-pi, natura inſtitū fuiffe ipſi huiusmodi pulsum. Plu-rimum igitur expedit, homines sanos cum medicis ſepe conuersari, quibus in morbo ſe ſint concredi-turi. Facile enim memoria retinere poſteſt medi-cus familiaris, qualis in ſanitate fuerat pulſus, he-ri aut amici ſui in morbo iam decumbentis: quem, quantum ſit mutatus, probè deprehendet. Quod ſi uero reperias pulſus malos & horrendos apud ægrotum, quem non noueras, & cuius arteriam

anteſ.

antea non tetigisti priusquam ægrotaret, memine-  
ris istius regulæ: Si ex omnibus alijs indicijs mor-  
bus appareat sine periculo, pulsus terrificum ex  
natura adesse sciendum est, aut prorsus ante ægro-  
tationem eum fuisse, propter aliquam causam e-  
videntem.

PRIMI GENERIS PULSVM DIF-  
ferentie quomodo cognoscantur.

Cap. 5.

Primi generis pulsuum differentias esse docu-  
imus, magnum, moderatum, paruum pulsum:  
in quibus comprehenduntur & isti, longus, latus,  
altus, turgidus: & ijs contrarij, breuis, angustus, hu-  
milis, gracilis. Eas uero differentias ut cognosca-  
mus, hoc in primis scire est operæ preciū quod dia-  
cturi sumus.

Magnitudo & paruitas pulsus bifariam accipi-  
untur. Altera est secundum molem uasis seu arte-  
riæ, altera secundum motus quantitatem. Prior in-  
propriè dicitur magnitudo uel paruitas pulsus: a-  
ptius enim diceretur magnitudo uel paruitas arte-  
riarum. Et magnas habentes arterias, magnū pul-  
sum habere, plebeij paſſim dicunt, docti minimè.

Altera autem magnitudo uel paruitas pulsus,  
quam motus quantitate metimur, propriè ita uo-  
catur. Sic enim uesciarum, follium fabrorum, utri-  
um, uterorum, uentrium, omnium deniq; corporū

quæ prædicta sunt aliqua cavitate, magnas cœsemus esse distensiones, quando nimium extenduntur, ita ut nulla laxitas partium in eis deprehendatur. paruas uero reputamus distensiones eorum, quando partes laxæ supersunt, quæ adhuc distendi possunt. Magna uesica aliquando parum distenditur in uniuersas dimensiones, et tum fit laxa: parua uero uesica interdum multum distenditur, et tum nulla est laxitas in eius tunica, seu membrana. Magnæ senum arteriæ aliquando parum distenduntur, et tum dicitur paruus eorum pulsus: aliquando puerorum arteriæ nimium distenduntur, et tum dicetur propriè magnus eorum pulsus. Ac reuera maior est semper pulsus puerorum, quam senum: licet senes multo maiores habent arterias.

Qui igitur cupit uere et propriè magnos uel paruos pulsus tactu cognoscere, utatur applicacione manus uaria, nunc comprimente, nunc suspensa, nunc media. Longitudo pulsus, suspensa applicatione melius percipitur. Si enim ad explorādam eam, prementem applicationem adhibeas, in uehementi quidem pulsu parum aut nihil obfueris, sed in debili peribit motus arteriæ magna ex parte, et nonnunquam totus aboletur. media uero applicatio uehementibus nō nocet, debiles uero supprimit et obscurat. suspensa itaq; applicatio, omniū est in sentia-

## Liber secundus.

91

sentienda longitudine aptissima, quoniā in ea nul-  
lum arteria pondus incumbit, nec ulla ei uis infer-  
tur. Altitudo uero & latitudo pulsus applicatione  
media & cōprimente melius inuestigatur: nisi ob-  
stet pulsus lāguiditas, que pressione nō admittit.




Ad sentiendā pulsus magnitudinē et paruitatē,  
etiā necesse est animaduertere, qualis sit figura ma-  
nus, cuius pulsū adtingimus. Prona siquidē figu-  
ra manus, melius longitudinē et latitudinē ostēdit:  
supina uero, melius altitudinē. In supino enim ma-  
nus gestu, cutis incubit superne, et delabitur in ar-  
teriā, dēsior reddita, et in sece collecta, quæ grauat  
arteriā, et obſtit eius distēſioni. In prono uero de  
cubitu manus, recedit cutis ab arteria, et laxior fit:  
ideoq; nō interpellat arteriæ distēſionē. Sed iā dicet  
quis, Quod si arteria in prona figura seu gestu ma-  
nus, liberior est ad edēdū motū, et perficiēdū, quid  
obstat quod nō tā exactē in ea percipitur altitudo,  
prout lōgitudo & latitudo? Rationem adſert Gale-  
nus, ὅτι τὰ τές πλεύτες τε οὐ τῷ μήνες ἀνέγεται  
υπαρχόνται τὸ βάθος. id est, quoniam dū auge-  
tur latitudo & longitudo, abſcōditur profunditas.  
Quēadmodū duæ tibiæ ſonoræ, abſcōidunt et obſcu-  
rant tertiā minus ſonorā: iuxta illud quod dixit A=  
ristoteles, Maiores motus obſcurāt minores. Appli-  
catione præterea manus ad altitudinem percipi-  
endam, opus est comprimente, uel media, ut dixi=  
mus:

mus: quibus nihil fert adminiculi, recessus cutis, nā  
pressu adstringitur iterum ad arteriam.

Iis igitur quæ diximus obseruatis, si pulsus quæ  
adtingit, quantitate excedat quadratum seu eucratū  
(quæ antea docuimus normā et mensurā esse aliorū  
omnium, & cuius te memoriam per omne tempus  
habere oportet) erit magnus: si uerò excedat mo-  
deratus, erit parvus. Hæc uerò collatio seu compa-  
ratio ad quadratum, usurpatur à medicis circa sa-  
nos homines: circa ægrotos uerò, & alteratos, com-  
modior est comparatio ad naturalem cuiusq; homi-  
nis pulsum, quæ retinuit in integra ualeutudine. Ma-  
gnum igitur uocabimus pulsum ægroti, qui supe-  
rat distensione, naturalem ipsius: paruum uerò, qui  
superatur à naturali.

Et sic quidem, ut docuimus, certò cognoscitur  
quantitas pulsus, præsertim longitudo & breuitas.  
nam linea recta arterie mobilis se ultrò tactui of-  
fert, sed profunditas seu altitudo & latitudo, tam  
moderata, quæ est in quadrato corpore, quam im-  
moderata, fallax est, et in cognoscenda ea tactus faci-  
le decipi potest. Quomodo enim profunditatem di-  
stensionis tactu percipies, cum ad eam percipiendam  
neesse sit, spacium in quo mouetur arteria, ta-  
ctu dimetiri? Tum enim quam profundum sit flumē  
sensu cognoscimus, dum spaciū eius seu altuum,  
quam profundi sese habeat, perspicerimus. Iā quā  
fieri

fieri potest, ut spacum, in quo mouetur arteria, ta-  
ctu percipias, quum nulla manus applicatione id  
exequi possis? Non enim suspensa, quoniam hæc  
spacum non adtingit, extremas solummodo motus  
partes excipit. Non etiam comprimentur nam præ  
ter hoc, quod hæc applicatio solis uehemetibus pul-  
sibus congruit, postremas partes spacij cōprimen-  
do destruit. Neq; media, quoniam & hæc extremas  
loci partes adimit compressione. Quare necesse est  
ad cognoscendam pulsus latitudinem & profunditatem,  
alia sensui adferre subsidia: que petenda sunt  
partim à ratione seu intellectu, partim à sensibili  
magis manifesto quam est motus, quod ducat nos  
in cognitionem minus manifesti. Ac de subdio quæ  
den rationis inferius dicetur. nunc agemus de sensibili  
magis noto. Sensibile in distensione arteriæ ma-  
gis notum est tactui figura, quam motus: licet ua-  
trumq; sit ei commune, ut tradit Aristotleles. Figu-  
ra autem arteriæ teres est, et rotunda serè semper,  
quam Græci νῦν ὡς τὸ διαγόλως, id est, circulæ  
distensionis nuncupant: eo quod circuli circumfe-  
rentiam representat. Contingit tamen interdum  
arteriæ figuram esse acuminatam, ueluti uerticem  
trianguli, quam ueteres Græci soliti erant uocare  
γωνίωσι, id est angulum, quæ perdit circuli super-  
ficiem: qualis fit nonnunquam à natura, quod ita con-  
formata sit arteria. nonnunquam à morbo, ut ini-  
tio

tio grauiū accessionū in febrib. cum frigore inuadētum: nō in ijs tamen omnib. uel solis, ut quis putaret. Reperitur etiā ijs duabus dissimilis arteriæ figura, quam Græci  $\pi\lambda\lambda\tau\alpha$  uocant: Latine depresso-  
sam uel planam recte dixeris, ueluti si excogitares  
circulum exquisitè rotundū in medio paulatim de-  
presū. Quod si has tres arteriæ figuræ characteri-  
bus exprimere uelis, isti erunt. Circularis,  angularis , deppressa .

Circulus igitur distensionis, si multis partib. ta-  
ctui se offerat, altam & latam significat pulsus di-  
stensionem: si uero paucis se offerat partibus, humi-  
lem & angustum. Sic & lunæ figura, si oculis præ-  
bet multas circuli partes, qualis est ante plenilu-  
nium, magnam apparitionem indicat: si uero pau-  
ca uideatur partes circuli in luna, ut sit in trigono,  
uel tetragono eius ad solem, paruam apparitionem  
demonstrat. Sic & truncorum caudicu[m], & lie-  
gnorum rotundorum in aqua natantium, paucæ  
circuli partes, quæ supra aquam emergunt, par-  
uam indicant eminentiam: multæ uero circuli par-  
tes, magnam. Atque ita uno eodemq; negotio, ut  
uides, profunditas & latitudo pulsus, per figuram  
cognoscuntur. Quoniam in circulis & globis  
confusæ sunt linea dimensionum: & una est linea,  
quæ & latitudinem & profunditatem tactui ostendit.  
Non sicut in quadratis aut quadrangularibus

cor-

corporibus, separatim cernere est profunditatis,  
separatim altitudinis linearis. Angularis figura ar-  
teriae Ω si multum se extulerit ad tactum, al-  
tum & angustum indicat pulsus: siuerò emineat  
parum, humilem & angustum. Depressa arte-  
riæ figura ⌈, latum & humilem indicat pul-  
sus. Vides igitur quo modo, dum arteriæ figu-  
ram sensu percipis, ratio, que sensui præstò a-  
dest, dicit te in cognitionem quætitatis motus. hoc  
enim ratio dictat, quod magna circuli superficie  
non circumscribatur humili, uel gracilis, uel par-  
ua distensio pulsus: nec superficies parua circuli ob-  
ducatur alto, uel turgido, uel magno pulsui.

Quod si contingat, ut sæpe usiuerit, arteriæ di-  
gitis occurrere exigua admodū figura, siue angu-  
laris illa sit, siue circularis, uel potius particula cir-  
culi aut anguli: quod fit, quoniam motus arteriæ pro-  
hibetur ascendere, & exerere sese ac dilatare, eo  
quod accreuerit caro multa uel adeps, uel locus ar-  
terie humorib. redundant, uel ex alia quacunq; cau-  
sa: difficilis cognitu est, uel potius impossibilis ad  
sensem, huiusmodi pulsus, nisi ratio accommo-  
det sensui nostro significationes aliquas certas.  
Angustus quidem semper apparet, ex figu-  
ra, hicce pulsus: sed altus ne an humili sit,  
nescitur. Quod si quis tactum habeat exqui-  
sitiissimum natura, in dignoscendo exercitatum, in  
attina

attingendo mollem, ut spacio arteriæ non obesset, dum comprimeret, posset solo sensu adhibita comprimente applicatione, in notitiam spacijs peruenire: cognito autem spacio, statim agnosceret quam latè et profundè arteria sese moueret. Sed quia hoc paucis concessum est, proinde alia adgrediendū est via. Expedendum est tempus distensionis, sit ne  $\beta\sigma\alpha\chi\nu\chi\gamma\pi\iota\omega\pi\iota\omega\pi\iota\omega$ , id est momentaneum: an uero  $\pi\omega\lambda\omega\chi\pi\iota\omega\pi\iota\omega\pi\iota\omega$ , id est diutinum. perpendenda etiam est  $\epsilon\ell\epsilon\ell\pi\iota\omega\pi\iota\omega$  celeritas & tarditas motus, id est distensionis: ex conexu enim utrorumque deuenitur in cognitione spacijs. Si enim tempus distensionis sit diutinum, & motus celer, constat magnum esse spacium, et proinde altum pulsuum. Contrà, si tempus sit momentaneum, seu exiguum, motus tardus, palam erit spacium esse paruum, & pulsuum humilem. Atque hoc pacto si uehemens pulsus sit, qui comprimentem applicacionem sufficerre potest, profunditatis quantitatem dignoscimus. Quod si languidus sit, iam sensus nobis nihil certi adseret, sola ratione profunditas erit examinanda: id quod, ubi de causis pulsuum agemus, patesiet.

SECUNDI GENERIS PVLSVVM  
differentiæ quo modo cognoscantur.

Cap. 6.

**Q**uemadmodum in dignoscenda quantitate pulsus plurimum te iuuit figura, quam præse

se fert arteria, ut superiore capite docuimus: ita in cognoscendo celeri & tardo pulsū, ac inter hos moderato, quæ sunt secundi generis differentiæ, non aliud tibi maiore adiumento erit, quam locus arterie. Quum enim omnis motus, quem φερεῖ, id est, lationem uocauit Aristoteles, fiat de loco in locum (locum autē nominamus τὸ τόπον ἐχοντος πέρας ἀντίστοιχον προστόπου, id est, proximam superficiem, circumdantem corpus locatum) quæcunq; arteria citò mutatur de loco in locū, citò ingreditur de alio in aliū, celeriter moueri dicitur: quæ uero segniter de loco in locum secedit, remorādo in locis, tardè moueri censetur. Sic enim arteria continuante motum suum, uariātur superficies seu loci: sicut uariantur orbes, dum unda propellit aliam undam, ita eto in aquam lapillo. Ac quemadmodum orbes huiusmodi undarum, si citò aliis alium sequatur, cele riter moueri putantur: sic arteria, si subinde aliam superficiem citò ingreditur (quam sibi fingit seu figurat in pulpa digitorum medici tangentis) cele riter mouet: si remoratur in transmutando locū seu superficiem, tardè mouetur.

Nec opus est querere hic, an corpus, dum mouetur, remoretur & maneat etiā aliquo modo: nam hoc pro confesso recepimus à philosophis. immò sunt aliqua quæ perpetuò sensui manere apparent, licet moneantur: ut manus index horarum in horo

Celeritas, sicut et tarditas, non est species seu differētia motus, cui adtestatur et Aristoteles, sed re uera τὸ κοινὸν τῆς οὐρανοῦ ἐστὶ ὀλύγονος. id est, est qualitas motus quæ proprijs differētijs definiri nō potest, ut aliæ multæ, sed ex effectu cognoscitur. effectus autē celeritatis est, citò transferre corpus de loco in locum: tarditatis, lente.

Iis igitur quæ diximus probè intellectis, facilius est celerem et tardum pulsum non tam ratione, quam sensu dignoscere, collatis scilicet ad modera-  
tum pulsum apud sanos, ad naturalē uero uniuscu-  
iusq; apud ægrotos, locorū arteriæ commutationi-  
bus: adhibita manus applicatione suspensa, si debi-  
lis sit pulsus: comprimente uero, si uehemens fuerit.  
Dum enim ad tactum senseris, arteriam non multū  
remorari, dum distenditur, in locis suis, sed citiore  
impetu ferri à superficie in superficiem, quam pul-  
sus temperati hominis, uel pulsus naturalis, is erit  
celer: dum uero lentius permuat superficies, remo-  
rando diutius in locis suis, dices esse tardū. Repre-  
sentatur aut̄ hoc, quam primum digitos admoueris,  
priusquam totum spaciū arteria transfilierit: nec est  
quod integrā distensionem expectes, si nolis. Li-  
cet enim tibi de tota coniecturam facere, ex parte  
eius, nisi motus sit inæqualis: sed de dignoscenda  
inæ-

## Liber secundus.

99

inæqualite postea agemus. Fuerunt autē complures medici tempore Galeni, qui non locorū commissatione, sed tempore duntaxat mēsurare uoluerūt, & censere celeres et tardos pulsus, ac definitiōes celerū obscuras ediderūt. Celerē enim definiuerūt pulsum, qui paucō fit tempore. Tardum uero, qui multo. quod si simpliciter intelligas, falsum est. Sic enim formicas, pediculos, lumbricos, tarmos, celeres merito uocaueris, quoniam paucō tēpore paſsus suis conficiunt. At uero tardum istorum motum esse omnibus constat, nimirum quoniam loca segniter permutant. uix enim tria loca ad sensum perceptibilia ingrediuntur tanto tempore, quanto muscae uel culices ingrediuntur mille. Sed eam ueterum doctrinam adeò sufficiēter refellit Galenus, ut ego mirari non desinā, quid tandem uenerit in mente quibusdam medicastris nostræ tēpestatis, quod solo tempore celerem & tardum pulsum metiri contendant. Et habent illi quidem excusationem aliquam, quam sèpius dixit Aristoteles, ὁ ἀριστοτελες μέτρον ἐστιν οὐντεσ, id est, Tempus est mensura motus. οὐν γαρ οὐ οὐντεσ, τοσδες νοαι ὁ ἀριστοτελες αεὶ δονεὶ γεγονεστω. id est, Quantus est motus, tantum est tempus. οὐν γαρ ἀριστοτελες ἐπίστετο τὸν οὐντεσ, οὐ δὲ οὐντεσ τὸν ἀριστοτελες. id est, Tempus terminat motum, & motus terminat tempus. Hæc uero omnia Aristotelis dicta uera sunt, si rati-

b 2 tione

tione, non sensu motum perpendere cupias. Quamuis et rationi tempus solum non sufficiat ad celerem et tardum motum dignoscendum; sed adiungenda est preter hoc, et spacijs, per quod fit motus, magnitudo, et temporis conferenda. Necesse est enim id quod celerius mouetur, maiorem in æquali, æqualem in minori, et maiorem insuper in minori tem-

Lib. 6. Phy pore magnitudinem pertransire, ut ait Aristotelfes ausculles. At uero medicus, qui sensui, quoad potest innitat. cap. 2. titur, aliter rem apprehedit. Ipse enim ad primum occursum arteriae, statim tactu percipit ex locoru immutationibus, celeritatem et tarditatem eius. Sicut ex primo impetu equi, piger ne an uelox sit, uisu statim discernit hippocomus, aut eques peritus. Quantitatem uero temporis, quo fit, et spacijs per quod fit motus, ut exploremus, id quod faciunt philosophi, opus est nobis prolixiore meditatione: quam adhibere ad pulsuum celeritatem uel tarditatem dignoscendam, operosum est, et superuacaneum. Iam uero dicat quis, non ne et Galenus, scribens ad tyrones, celerem pulsuum definit: qui fit, dum paucō tempore arteria distendatur, quod repetiuit et libro de Differentijs pulsuum primo, capite secundo: Celerem inquiens esse pulsuum, qui fit, dum modico tempore mouetur arteria: tardum, quum multo: moderatum, qui mediocri. Cui nos id responsum esse uolumus, Aliud esse pulsuum cele-

## Liber secundus.

101

celerem uel tardum definire, aliud docere quo modo sensu cognoscatur. Bona certe est definitio pulsus celeris & tardi, quemadmodum et aliorum motuum, quam Galenus magis ex ueterum instituto, quam suo, protulit ijs in locis, si probè intelligatur. Probè autem intelligitur, dum paucum tempus uel multum non simpliciter dici existimes, sed comparatione ad spacium, per quod fit motus: paucum scilicet tempus ad magnum spaciū, dum celer fit motus: multum uero tempus ad paruum spaciū, dum tardus fit motus, comparando. Sic enim, exempli gratia, si equus unus una die octo milliaria itineris conficiat, alter uero uiginti, utrumque paucō tempore cursum suum peregrisse dicimus, nempe uno die: celerem tamen iudicamus, qui tanto tempore uiginti milliaria percurrit: tardum uero, qui octo. sed h.e.c speculatio medico parum est necessaria.

## TERTII GENERIS PVLSVVM

differentiæ, quo modo cognoscantur.

Cap 7.

**C**reber pulsus, rarus, & inter hos moderatus, tertij sunt generis differentiæ: quæ facile cognoscuntur, si quietem, quæ est motus priuatio, perceperis. percipies autem tactu: est enim quies de numero eorum quæ communia sensibilia

b 3 nunc

nuncupantur, ut tradit Aristoteles. Duplicem autem esse in pulsū quietem, superius docuimus: alteram superam, seu externam, alteram inferam, seu internam. quare etiam raritas & crebritas duplex erit: altera scilicet secundum quietem superam, altera secundum quietem inferam.

Si arteriæ tunica moratur in ultimo loco (in quem distensione ingressa est, antequam contractionem incipiat) diutius quam pulsus quadratus aut naturalis, dices rarum pulsum, secundum externam quietem: si uero breuius moratur, dices crebrum. Applicatio autem manus sit suspensa. haec enim aptissima est ad quietem exteram cognoscendam, tam in languidis, quam uehementib. pulsibus, quoniam nullam motus partem impedit.

Comprimens uero applicatio arcet & prohibet motum arteriæ, quo minus totus perficiatur, et nonnunquam totum abolet. Quum arteria onus digitorum non suffert, supprimitur motus, & falsa tibi quies apparent necesse est, ex motus abolitione. tam diu scilicet quiescere arteria creditur, quam diu in loco moratur: at diutius moratur, quoniā u (in cōprimente applicatione) ut ne ascendat prohibetur. Sed dices forsitan, arteria rei scere motu suo cutim, & pulpam digitorum medici, ac exercere sese, seu attollere eō usque ubi motus suū finiat: ac tum primum quiescere in loco pulpa digitorū,

quoniam

## Liber secundus.

103

quum motum suum finiuit. Cui nos id respondeamus, hoc ueritatem non habere, nisi dum arteria uehementi motu est prædicta. de quo sequenti capite agemus. In debili uero pulsu, nedium pulpa ditorum medici, sed ne cutis quidem ægrote manus eleuari potest. Nam pro uirium robore, arteria grauiora uel leuiora fert & ad tollit onera: quod manifeste animaduertitur, si arterijs ap posueris foris supra cutim folium aliquod, uel membranam, linteum, aut panniculum, uel quidi piam aliud simile. cernes enim, quicquid supra posueris, una cum sublata arteria moueri & ad tolli. Quod si iterum priori tantundem apponas, iam multo amborum obscurior motus erit: si uero tertium addas, erit adhuc multo obscurior: itidem si quartum, & quintum. ad extremum tandem, impositorum motum abolitum uidebis. Quod si uehementior sit pulsus, feret grauitatem plurium corporum: si minus uehemens, pauciorum: si uero nequaquam sit uehemens, nullo onerari corpore sustinebit. At si languidus fuerit, tantum abest ut foris impositum cuti pondus eleuet, quod ne ipsam quidem cutim loco mouere queat. Non abs reigitur suspensa applicatione, ad quietem externam percipiendam utendum esse diximus. Nihilominus tamen licebit & comprehendente uti in uehemētibus pulsibus, hactenus ur

b 4 gen

gēdo ut ne motui obſis, id est, ut ne externa motus pars ſenſum ulla fugiat, ob preſſum. Et hoc eſt quod in quarto principio huius artis ab initio poſitum eſt. Externam quietem integrā diognoscet, qui apte manū applicat.

Contra interna raritas & crebitas compri-  
mēte applicatione melius percipitur, ſuſpensa  
nequaquam. Memineris uero, quod supra de-  
claratum eſt in quarto principio, internam quietem,  
ſinceram nunquam ſentiri: ſed unā cum par-  
tibus quae ſentiri non poſſunt, diſtensionis & con-  
tractionis. Hoc autem quod diximus, raritatem  
& crebitatem inferam diognosci applicatione  
comprimente, ita accipias uelim, ut tantum ſcili-  
cet comprimas, quantum per pulſus præſentem ue-  
hementiam licet: tactu ſcilicet prosequendo con-  
tractionem, quo ad poſſis, ut ſcias ubi deſeratur.  
Et ſi diutius deſeritur tactus quam in moderatis  
uel naturalibus pulſibus, raruſ: ſi uero breuius,  
crebrum pulſum eſſe pronunciabis, ſecundum in-  
feram uidelicet quietem. Iam ex ijs quae diximus,  
facile eſt intelligere & hoc, quod in debilibus  
pulſibus, qui comprimentem applicationem fer-  
re non poſſunt, tota contractio appetat eſſe qui-  
es infeſa, unā cum maiori parte diſtensionis, &  
uerā quiete infeſa. Veram autem quietem infeſam  
uoco, quae inter diſtensionis principiū, & fine con-  
tracti-

tractionis intercedit, ac media est: que neq; in debi-  
libus, neq; in uehementibus pulsibus, sentiri un-  
quam sincera potest, ut liquet ex quarto huius ar-  
tis elemento.

QVARTI GENERIS DIFFEREN-  
tiae quo modo cognoscantur. Cap. 8.

**V**Uehemens pulsus, languidus, et inter utrum-  
que medius, quarti generis diffcrentiae sunt.  
Nil autem resert, si uehementem, robustum, for-  
tem, ualidum appelles: et languidum, si debilem,  
remissum, resolutum, imbecillem uocaueris. nam  
haec eiusdem rei diuersa sunt nomina. Dignoscun-  
tur autem hi pulsus sensu hoc pacto. dum in com-  
primente applicatione, pulsus euertit tactum no-  
strum, id est cutum in pulpis digitorum medici, hic  
est uehemens: dum uero euertitur a tactu in eiusmo  
di applicatione, hic est languidus: ubi uero neu-  
trum fit, ut nec euertat tactum, nec ab eo euertatur,  
medium esse dicemus.

Medius autem hic pulsus non est ille qui in cor-  
pore optimae constitutionis reperiiri solet. corpora  
enim temperatissima, ualida opera efficiunt, uali-  
dos et fortes pulsus edunt: at hic medius imbecillae  
facultatis opus est. Tametsi enim fortior sit eo qui  
euertitur a tactu, est tamen debilior eo qui euertit  
tactum.

Quis ergo, inquires, in hoc genere, qualitate scilicet uirtutis, pulsus erit moderatus, seu medius? ille scilicet, qui est in corpore optime constitutio-  
nis, dum est liberum ab omnibus magnis commo-  
tionibus, qui reuera uehemens est: attamen est  
modus & mensura eius uehementiae, ultra quam  
si fiat excessus, receditur à natura, ad rem non na-  
turalem. proinde pulsus temperatissimi corporis,  
qui est norma & regula aliorum omnium, quo-  
dam modo est medius, quodam modo extremus.  
Quatenus enim eo alijs sunt uehementiores (qua-  
les in ira, exercitijs, uini potionibus, & crisijs  
reperiuntur) alijs item eo minus uehementes, ha-  
ctenus est medius. Quoniam autem tres sunt hu-  
mus generis, qualitatis scilicet uirtutis differentiae,  
uehemens, imbecillus, & inter utrosque medius  
pulsus: temperatissimi uero hominis pulsus non  
ex media est, sed ex una de extremis, cui nomen est  
uehemens: hactenus medius non est, sed extremus,  
quod melius in hoc Schemate perspicies.

Pulsus

## Magis uehemens.

Pulsus quali- tate uirtu- tis ali- us est	Vehemens, qui tactum euer- tit: cuius ite- rum tres sunt differentiae,	Moderatus, qui est in corpoore temperatissimo.
	Medius, qui nec euerit, nec eueritur.	Minus uehemens, cuius magna est uarietas in- ter homines.

## Debilis, qui euertitur à tactu.

Hec bene si percepisti, facile intelliges sententia Galeni, quæ multis uisa est obscura: διον οὐρ οὐρ οὐρ περὶ αὐτὸς παλίως αὐτὸν λιπαρόν οὐρούντων, τὸν πατὰ φύσιν οὐ τάχτω τῷ γείται σφυγμὸν, μέσον οὐ θερέψετῶν δένων δὲ γίνεται αἰαφορῶν. id est, Pulchrè omnino existimo, et uere ab antiquis dictū esse, naturalem pulsū in hoc genere medium reperiri in altera extrema differentia.

Videtur autem facilis esse cognitio uehementis pul-  
sus, sed reuera diligēti eget obseruatione: alioqui si  
negligēter te geras, incides in eū errore, ut magnū  
pulsū uehementē esse credas: quoniā et is euerit  
tactum, sicut & celer & altus, durus, uibratus, cō-  
uulsivus. At non tam in euertendo tactu cognitio  
uehe-

uehementis pulsus est reposita, quām in resistendo  
& renitendo tactui: quamvis utrumq; adesse ope-  
rat. hi enim pulsus, quos nūc recensuimus, quia  
tantummodo euertunt tactum, in suspensa applica-  
tione, sed non renituntur ei in comprimente (abo-  
lentur enim, et deisciuntur) propterea uehementes  
esse non censemur. Quod si et ijs hoc accedat, ut  
non tantum euertant tactum in suspensa applica-  
tione, sed etiam in comprimente, tum merito et ue-  
hementes esse dicentur. Solius enim pulsus uehe-  
mentis est, reniti applicationi comprimenti, præ-  
rea neminis. Nam quod magni penitus in tactum  
progrediuntur, & magnum, ut antea diximus, fa-  
ciunt distensionis circulum: celeres etiam qua pol-  
lent, impellunt celeritate tactum: alti subeunt, ac  
intrant: tensi ægrè cedunt: duri premunt & trua-  
dunt: vibrati, & conuulsui ob tensionem & duri-  
ciem hoc idem efficiunt: hoc tamen non in omni ap-  
plicatione, sed in suspensa, uel media præstant, in  
comprimente nunquam. Quod si et in comprimen-  
te hoc idem efficiant, id non ut tales, sed ut uehe-  
mentes ( si robur scilicet adest facultatis ) præ-  
stabunt.

QVINTI GENERIS DIFFEREN-  
TIÆ quo modo cognoscantur. Cap. 9.

**Q**VINTI & Ultimi generis differentiae sunt,  
durus, mollis, & moderatus pulsus. Durū  
autem

autem & molle sensibilia sunt per se, ut docet Ari-  
stoteles. Quare & hæ differentiæ pulsuum, quæ  
sunt tunicae arteriæ, non ipsius motus qualitates,  
nullo negocio sentiri possunt, quum per se tactui  
occurrant.

Iam dicat quis, Cur igitur Galenus in libello de  
Pulsibus ad tyrones, docet nos, durum pulsum, &  
mollem, signis quibusdam cognoscere, ueluti notis  
proprijs? Sunt autem notæ seu indicia mollis qui-  
dem pulsus, humiditas, carnositas ( quæ etiam sunt  
tactiles qualitates ) præterea cessio. Duri uero  
pulsus sunt, siccitas, macies, qualis est in corijs, &  
pressio. Molles siquidem arteriæ humidæ sunt, car-  
nosæ, & digitis nostris cedunt. Duræ uero, siccæ  
sunt, instar corij, rigidæ, premetes digitos nostros.  
At uero Galenus tradit hæc, non ut nos doceat, du-  
rum & molle sentire, natura enim, sicut calidum à  
frigido citra ullum præceptorem dignoscere uale-  
mus, sic durum et molle: rem siquidem omnem quæ  
tactum edomat, duram: quæ uero subterfugit, mol-  
lem esse dicimus omnes, ut in Meteoris docet Ari-  
stoteles. Quin potius ea de causa hæc protulit Ga-  
lenus, ut alter alteri possit edifferere, ac interpre-  
tari, si ita usus exigat, quæ nam illa sunt quæ ad ta-  
ctum differre faciunt durum à molli. non enim  
hæc palam sunt omnibus: & si sint, non omnes ta-  
men ea referre sciunt. Quod autem hoc ita sit, audi  
quid

quid dicat Galenus. σπληνόρ ἡ μαλακόρ σῶμα,  
 πάντες αὐθεωποι θλιψιώσομεν αἰδήσει, λιανί<sup>τη</sup>  
 πούρος περὶ τῆς ὑπαρχέως αὐτῷρ γυτέη, ἀλλατερεῖ  
 τῆς θλιψιώσεως μᾶλλον. Θαλή περὶ ταῦτα, ἀλλατερεῖ  
 τὸ πῶς αὖ τις ἐρμηνεύῃ ἔτερω, τὸ γιγνόμενορ ἐ-  
 αυτῷ πάθειαν πάσα τὴν αἴφλιν σὺ τῷ προσβολῇ τῷρ  
 σπληνῷρ σῶμάτων, οὐποτελιαφέρει τὸ τῶν σφό-  
 δεῶν. id est, Durū et molle corpus, omnes homines  
 sensu dignoscimus: nec opus est querere de ijs, que-  
 nam ipsa sint, sed magis de dignotione corū. At neq;  
 de hac, sed potius de eo, quo modo quis interprete-  
 tur alteri pathema seu affectum tactus sui, dum du-  
 ra adtingit corpora, et quo modo à uehementiū pa-  
 themate seu affectu differat. Est enim reuera duri  
 pulsus cū uehemente magna communio, quoniam  
 uterq; uiolentū ictum faciunt: id est, tactū euerūt.  
 sed discernitur alter ab altero, pathemate, id est, af-  
 fectu proprio. Pathema enim uehemētis pulsus  
 est, tolerare comprimentem applicationem, & in  
 ea tactū euertere, quod Græci uocāt αὐτιβασιορ  
 πληνῆς, id est, resistens ictu. Pathema aut̄ duri pul-  
 sus est pressus seu pressura tactus, Græci dicunt θλι-  
 πινόρ, id est, premens. premunt enim omnia dura:  
 uehementia non premunt, nisi simul adiunctam ha-  
 beat duriciem. Id quod experiri licet non solum in  
 animato, sed etiam in animi corpore. Leones enim  
 & tauri uehementia animalia propterea sunt et di-  
 cuntur,

## Liber secundus.

ut

cuntur, quia magnas moles euertūt. Sic et decursus  
fluuiorū, et flatus uentorū uehementes sunt: quoniā  
am resistere eis est difficile, & attollūt nos, ac euera  
tūt. At lapides, æs, ferrū, dura sunt, quæ dum tacui  
adponūt, premunt: et post se uestigium, quod est  
pressionis signū, relinquūt. nam cauiorem reddunt  
partem nostri corporis, & nonnunquā liuidā. Ven  
ti uero, fluuij, quoniā molles sunt, facile circum cor  
pus diffunduntur, et circumfluūt: deturbat nos se-  
pe, et euertūt citra ullū uestigium et cauationē, quæ  
ex pressione nasci solet. Facit et hoc ad dignotionē  
uehementis pulsus, et duri: quod uehemens magni-  
tudinem, aut saltē altitudinem sibi habet adiun-  
ctam, quam durus assequi non potest: id quod in-  
telliges, dum de causis pulsuū sermo erit.

Iam quod faciendum esse præcepimus circa sin-  
gula genera pulsuū, id quoq; er hic obseruādum  
esse cēsemus, ut conferas pulsum, quem tetigeris, ad  
quadratū: et si compereris eum duriorem quadra-  
to, iudicabis durum: si uero molliorem, mollis tibi  
est. Applicatio aut̄ sit digitorum suspensa, uel me-  
dia: quod si pulsus sit simul durus & uehemens, ni-  
hil oberit & comprimens applicatio.

PLENVS, VACVVS, TENVIS,  
grossus, grauis, leuis, calidus & frigidus  
pulsus, num cognoscantur.

Cap. 10.

Sunt

Sunt quidem & aliæ differentiæ pulsuum, praeter has quæ in quinq; prædictis generibus continentur: sed cum tactu à medico dignosci nequeunt, propterea merito à Græcis repudiantur. Nec consulte quidam ex nostris, eas ad medicos inuexerunt. Plenus enim an uacuus sit pulsus, tactu nequaquam percipies: nisi magnum & plenum pulsum, paruum et uacuum pro eodem accipere uelis. Tres autem causæ sunt, cur sensu tactus plenus & uacuus pulsus cognosci non potest.

Prima, quoniam tunica arteriæ admodum grossa est, ut quæ sextuplo sit auctior peritonæo.

Secunda, quoniam cutis eam tegit etiam grossa.

Tertia, motus arteriæ perpetuus, qui perturbat & obscurat omnem contentorum in ea noticiam.

Quam probus autem fuerit pulsuum censor Auncenna, uel inde cognoscas, quod plenum pulsum, & uacuum, ac inter hos medium, non solum medicis instituat, sed etiam dignoscere doceat. Ait enim: Plenus pulsus est, qui sentitur, sicut si in eius concentricitate humiditas esset implens, de qua sollicitandum est, ut pure euacuetur. At heus bone uir, si in hydrope humor ne sit an flatu, qui in cōcauō uenit, continetur, tactu percipere non possumus, nisi cutem uiolento pressu cauemus, quæ nec semper cauari potest, ut in syncera ascite & tympanite uide est: sed ad ueram notitiam comparandam, pul-

sare

## Liber secundus.

123

sare seu tūdere cogimur abdomen, ut adtendamus, num ueluti tympanum resonet. Deinde diuersimōē de componimus hominem, & in latera conuertimus, ut fluctuationem aliquam exaudiamus. Et sonitus quidem in modum tympani, flatum annunciat nobis: fluctuatio uero, humorem. Tactu uero solo deprehendere non possumus, aer ne sit in distento abdomine, an aqua: quamuis cutis & caro ad peritoneum contabescat, ac etiam circumiectae partes extenuatae sint, copiosaq; adsit quæ continetur materia. Tanto minus id quod in arteria cuitate continetur, tactu dignoscemus: quum tunica eius compressione cauare nequeamus, sonitum nullum percipiamus, fluctuationem nullam. Porro quod Paulus Aegineta pleniorē pulsū inde cognitu facilem esse ostendat, quod sit corpulentior, ad rem nihil facit. hoc enim nos antea mollis & humili pulsus indicium esse docuimus, non pleni.

Grossum uero et tenuē pulsū propterea tactu non sentimus, quoniam tunicam arteriæ utrinq; adtingere nequimus. Quum enim linteum, panum, chartam, grossa ne an tenuis sit perpendere & estimare uolumus, pollicem imæ parti, indicem supernæ admouemus: ac grossa dicimus, quæ pollicem ab indice multum distinxerint & seiuunt: quæ uero parum, tenuia dicimus. Iam quia in arteriam uiuentis hominis nusquam intromita

i

tere

114 Sphygmicæ artis

tere digitum possumus, frustra grossitatem eius, & tenuitatem tactu apprehendere adniteremur.

Grauis uero an leuis sit pulsus, ne hoc quidē tactu percipies: quoniam arteria nūquam sola tactui occurrit, sed semper cum adnatis sibi partibus.

Calidum autem et frigidum pulsum, tactu, si sedulò adtingas, cognosces: sed medico parum hoc scire refert. Conducit plus ad percipiendam corporis caliditatem, tangere axillas ægroti, dorsum, thoracem, hypochondria, uolas manus, & plantas pedū.

DE COMPOSITORVM PVL-

suum cognitione. Cap. II.

**N**on est opera precium, seorsim precepta dare, de cognoscendis pulsibus compositis: quandoquidem ipsi ex simplicibus constant, ut ex primo libro didicisti. rationem autē cognoscendorum simpliciū, satis luculenter iam declarauimus. Στω γαρ εἰδούσι τὸ συνθετὸν ἵππολαμβάνοντον, οἵαν εἴδωμαν εἰν τῷ ωρίῳ λακοῦ πόστων εἶχον. id est, Sic uero compostū nosse nos existimamus, quādo noscimus ex quib. et quot partibus constet, ut ait Aristoteles. Quare superuacaneum foret, eadem hic repetere, quæ de simplicibus antea diximus.

Cæterū quia compositorum pulsuum apud medicos frequentissima est mentio, & usus præci-  
pius, uniuscuiusq; medici interest, scire ipsorum omnes differētias, ac eas memoria tenere ut unguis

15

## Liber secundus.

115

Et digitos suos. Quoniam autem hoc difficile est,  
(rerum enim diuersarum, diuersas compositiones et  
mixturas meminisse, hoc opus, hic labor est) proin  
de studendum est, artificosa memoria nostram ad=  
iuuare. Non omnis enim memoria à natura profi=  
ciscitur, ut scribit Cicero. habet et ipsa quiddā ar=  
tificij: cuius præcipua sunt duo capita, loci scilicet,  
et imagines. Quare nos ad locos quosdam, om=  
nes simplices pulsus redeginimus: ex quibus tandem  
locis, ueluti ex penu, facile erit cuique, omnes tū sim=  
plicium tum compositorum pulsuum differentias  
depromere. Loci autem sunt quinq; digiti manus  
nostræ, quinq; generibus pulsuū deputati. Et quia  
singuli digiti terios habent articulos, ternas et i=  
psí species singulorum generum pulsus tibi repre=  
sentent. Primus manus nostræ digitus, pollex à La=  
tinis uocatus, primum tibi genus pulsuum referat,  
quod est quantitas distensionis. ac primus eius arti=  
culus sit tibi locus magni pulsus, secundus mode=  
rati, tertius parvi. Digitus secundus, cui nomen a=  
pud Latinos est index, secundum genus pulsuū  
retineat: primus eius articulus locus sit celeris pul=  
sus, secundus moderati, tertius tardi. Tertius digi=  
tus, qui medius est, crebros, moderatos, et raros ha=  
beat. Quartus annularis, uehementes, moderatos  
et languidos. Quintus, qui est minimus, molles, mo=  
deratos et duros. Sed hæc melius pictura ostendit.

i 2

Quinta



Quindecim igitur quinq; digitorum articuli,  
quindecim simpliciū pulsū tibi loca sunt. Superi  
uniuerſi quinq; magnus scilicet, celer, creber, uehe  
mens,

## Liber secundus.

117

mens, mollis, prima est compositorum pulsuum differentia. Medij uero uniuersi quinq;<sup>;</sup>, secunda, que omnes moderatos complectitur: si modo meministi eorum, quos libro primo in tabula Compositorum pulsuum depinximus. Inferi uero uniuersi quinq;<sup>;</sup>, paruus scilicet, tardus, rarus, languidus, durus, teritia est compositorum pulsuum differentia. Primus superus cum quatuor medijs quarta, primus superus cum quatuor inferis quinta: constat uero ex magno, tardo, raro, languido, molli. Tres medijs, quartus superus, quintus medius, efficiunt sextam. Medius cum quatuor superis, septimam. Medius cum quatuor inferis, octauam. Et sic deinceps, si diuersos diuersorum digitorum articulos connectas, plurimae tibi compositorum pulsuum differentiae enascetur: quarum tanto facilius recordaberis, quanto tibi digitii tui sunt semper ad memorandum faciliiores.

Porrò licet simplicium pulsuum differentias quindecim tantummodo recensiimus, quas ex libro primo nosti: sunt tamen particulatim multæ aliæ, quas oratione non exprimas, sed experiendo excessum & defectum cognosces. Nam non solum est quantitate distensionis magnus, moderatus & paruus: sed etiam maior & maximus, minor & minimus. Sic in altero genere, qualitate scilicet motus, non tantum est celer, moderatus & tardus: sed etiam celerior et celerrimus, tardior & tardissimus.

i 3

Atq;

Atq; in reliquis generibus etiam eodem modo ere-  
brior & creberrimus, ravior & rarissimus, uehe-  
mentior et uehementissimus, languidior et langui-  
dissimus, durior & durissimus, mollior & molliissi-  
mus. Quos libro primo propterea de industria re-  
ticuimus, ne studiosis tāto magis intricaremus ne-  
gotium disquirendorum pulsuum, quod ex se satis  
est operosum. At opportune hic eorum sit mentio,  
quoniam facilius memoria iam retineri possunt, si  
singulos adiūgas ad eos qui in manus picturas sunt  
expressi, quos ultra uel citra sequuntur. Maior e-  
nim, magnus et maximus, transgrediuntur magni-  
tudine moderatum, & ultra cum sunt: minor uero,  
paruu et minimus, moderatum subsequuntur, et ci-  
tra eum sunt. sic & cæteri in suo quisq; genere. Cæ-  
terum hoc dignū est animaduersione, quòd eos pul-  
sus, quos in gradu cōparatiuo proferū uetus me  
dici, propiores faciūt moderatis, quam eos quos po-  
situo gradu exprimunt. Atq; hāc ad rem figurata  
uoluerunt uti locutione, heterosi scilicet: quemad-  
modū et nos səpius dicimus uim̄ potentius, pro eo  
quod non satis est potens: et potū frigidorem, qui  
non penitus est frigidus. Sic et Galenus ubiq; mai-  
rem pulsū nuncupat, qui moderatū excedit, sed ta-  
men qui infra magnum sit: eodē modo celeriorem,  
crebriorem: ac eos etiā qui infra moderatos collo-  
cātur, minorē scilicet, pro eo qui moderato sit infe-  
rior,

## Liber secundus.

119

rior, sed parvus nondū est: sic tardiore, rariore, languidiorē, duriorem, pro ijs qui infra moderatos sunt, non tamē tardi, rari, languidi, duri nominari merētur. Hoc uero tibi in lectione Galeni memoria nunquam excidat: alioquin in graues delabēris errores, dum ad examinationem causarū, quem quælibet pulsus procreet, uentum erit. Vocatur autem ij pulsus, qui in superlativo efferrūtur gradu, à Græcis ἀνεργοτήτες, id est, extremitates pulsuū, magnaq; ad eas in morbis adhibetur animaduersio: & quæ deterima sit, quæ optima, quæ exitialis, quæ salutaris, non quilibet nouit. sed hoc ad quintum librum pertinet, ubi de prognosticis ex pulsibus sententijs tractabitur. Extremitates superorum pulsuū sunt, maximus, celerrimus, creberrimus, uebementissimus, mollissimus: extremitates inferorum sunt, minimus, tardissimus, rarissimus, languidissimus, durissimus.

## DE RHYTHMORVM IN PVL-

ibus cognitione. Cap 12.

**R**hythmos ueterum Herophilios, id est, quos Herophilus excogitauit ( de quibus libro primo egimus) sensu cognosci non posse, hac ratione ostendit Galenus. Rhythmi non noscentur, nisi integra tempora distensionis & contractionis noescantur. horum enim temporum proportiones ex comparatione, rhythmi sunt. quo pacto autem

## Sphygmicæ artis

comparabimus ad inuicem, ea quæ ignota nobis sunt? Quod uero ignota sint integra tempora motus utriusq; nobis, inde constat, quoniam ex motus distensionis & contractionis integer, nobis cognitus esse non potest. Necesse autem est, ut prius nobis constet de motu, tandem de temporibus motus. At quod motus distensionis & contractionis integer, nobis cognitu sit impossibilis, patet ex tertio huius artis elemento, quod indicat, distensionis initium & finem contractionis non sentiri.

Sed dicet quis, dictum hoc non omnino esse efficax in languidis enim pulsibus locum habet, quorum contractiones obscure sunt nobis, & incognitæ, cæterum in uehementibus secus est, quorum et si distensionis & contractionis motus, sensui totus non occurrat, iuxta tertium huius artis principiū, partes tamē eius sensui sunt manifestæ, posteriores scilicet distensionis, & priores contractionis. Iam sicut se habet totum distensionis tempus ad totum contractionis, ita se habent et partes motus inter se quæ sensui obisciuntur. Si enim, exempli gratia, duplum est tempus totum contractionis, cum toto distensionis tempore comparatum, duplum quoq; erit tempus contractionis, sensui occurrens, si ad tempus distensionis sensu perceptu consideratur. Quare nihil refert, partes ne comparetur motus, an integrum motus, quum eadem sit utrobiq; ratio. Respondet Galenus,

## Liber secundus.

121

Galenus, in solis uehementissimis pulsibus, haec aliquando comp̄eriri: sed ex tali rhytm̄o, quidpiam certi posse pr̄edici, inficiatur. Nec opus sibi fuisse scribit, cognitione huiusmodi temporum pulsus, siue integrorum, siue diminutorum. At cognitio rhytmorum Galenicorum, id est celeritatis & tarditatis in distensione & contractione, quia non exigit totum motū, sed parari potest ex qualibet eius parte (ut capite sexto huius libri docuimus) annūciatres plurimas, ut postea disces, & maximas: estq; medico ad pr̄esensionem in morbis utilis et uerax, lateq; patet eius utilitas. nā paſſim ea uti licet, pr̄terquam in pulsibus extremē languidis, in quibus ne principium quidem cognoscas contractionis, ne dum insignem eius ullam partem.

DE INAEQUALITATE, ET ORDINIS  
perturbatione cognoscenda.

Cap. 13.

A Equales & ordinati pulsus ea arte cognoscuntur, quam hucusq; conscripsimus: cuius quanto quisq; erit peritior, ac in ea ipsa exercitator, tanto citius & expeditius omnes eorum differentias dignoscet. Inaequalitas autē & ordinis perturbatio, requirit longiorem moram in adrectanda manu ægroti. Fieri enim potest, ut plurimi pulsus se mutuō sequentes, sint æquales & ordinati: sed post illos tandem suboriantur aliqui inæquales, at

i 5 inora

Sphygmicæ artis  
inordinati. Quare & longè detinere manum expe-  
dit in pulsū, et aliquoties repetere ad rectationem.  
Erant autem quidam, qui ad centesimam usq; pul-  
sationem retinendam esse manum præciperent. in  
tanto enim numero, latè amplius non posse dice-  
bant ullam pulsus immutationem.

Porrò singularis inæqualitas suspensa manus  
applicatione non bene percipitur. nimirum sic ex-  
trellum motus finem sentimus duntaxat, non inte-  
grum motum. Vnde liquet, non omnium pul-  
suum inæqualitatem in nostram deuenire notitiā.  
Nam si parui sint, & languidi, quorum unum( e-  
xempli gratia ) distensionis motus initium est cele-  
rius, proximum tardius, iterum finis celerior, quo  
modo poteris bifariam uel trifariam motum disce-  
care: in paruo spacio, facultate imbecilla. Obstat  
enim paruitas, qua diuidi in sensibiles partes se nō  
sinit: impedit comprimentem applicationem, facul-  
tatis infirmitas, qua succumbit in compressione.  
Proinde nec in pulsib. lethargicis, deprehēdere est  
inæqualitatē singularem: qua tamē adest forsitan,  
quia omnino quo cognoscatur uult cōprimi. at hoc  
præ imbecillitate non sustinet. Quare hic mibi e-  
rit singulari prudētia & expertus in dignoscendo  
medicus, qui unicuiq; pulsui inueniet manus appli-  
cationē apposita, & idoneam. Nā si maximus pari-  
ter & uehementissimus fuerit, ualidā ac cōprimen-

tent

tem fert applicationē; at aliis quisq; quantū à ue= hementia uel magnitudine abest, tāto leuiorē et ma= gis suspēsam. Proinde ante omnia perficiendū est ad unguem, quantū à maximo et uehementissimo receſſit pulsus: deinde ratio incunda, quantū com= preſſionis ſufficiat id genus pulſui impertire. Vt ro= biq; enim offendamus neceſſe eſt, ſiue excedamus modū, ſiue nō affequamur. Quoniam ubi minus pre= mimus, præterit nos aliqua pars interna motus: u= bi uero plus premitus, externa, id quod antea de= clarauimus. atq; ita primum motum, in æqualē eſſe nō percipiemus: deinde male de toto motu ſæpe iu= dicabimus, eo quod male perpenderimus partes. Si enim uel pars eius prima uel altera celerior sit, et earū tantū altera à nobis fit percepta, nō possumus primum, uniuersum motū in æqualē eſſe ſcire. dein de uel celerē, uel tardū arbitrabimur eum eſſe, quā neuter planeſit: ſiquidem cuius celeris erat pars prima, et altera tarda, hunc nec celerem absolue= tē, nec tardum iurē uocaueris, ſed una tantum par= te. Sed ut ſummatim dicam, ad inaequales pulſus percipiēdos neceſſe eſt, ea manus applicatione uti, qua totū motū ſenſibile coſequi poſſis, tactūq; pro magnitudine pulſus et uehementia uariè adaptare. Nō nonqua et primum digitū ſubleuare, ut perpe= damus an ſub ſecundo et tertio ſimilis perſeuereſ pul= ſus, poſt ſubleuationē: an uero maior et uehemen= tior.

tior. Sunt enim quidam pulsus, quibus oneri sunt tres digiti, minus uero grauantur à duobus: sunt etiam, qui unum exposcant.

Ad inæqualitatem uero systematicam seu con-  
gestitiam cognoscēdam, præstiterit præter ea qua-  
iam diximus, duas obseruare regulas. Prima: sub-  
mouendi sunt interdum omnes digiti: deinde par-  
uo interposito temporis interuallo, denuò admo-  
uendi, idq; aliquoties faciendum. Secunda: ita de-  
bemus partem componere, quamcunq; tangamus,  
ut nostri digiti sint subter arteria. figura uero ma-  
nus ægroti sit prona: hoc pacto enim à digitis ex-  
eute quām minime grauatur arteria, cui ex cuti so-  
let esse oneri sæpius, nedum digitii nostri, ut antea  
docuimus. Evidem non rarò, cum admouerem su-  
pernè digitos arteriæ, nullus motus ob exiguitatē  
animaduertebatur: dum uero inuerti manum ægro-  
ti, ut arteria super digitis subiectis leuiuscule iace-  
ret, tum statim percipiebatur.

Quorsum autem hæc? Quoniam si applicatis di-  
gitis, ex figura, ex modo quo diximus, pulsus tibi  
decrescere uideatur, myuros, seu decurtatos esse in-  
dicabis: quibus onus digitorum obstat, ac propte-  
rea diminuuntur. Hi uero si iterum à paruitate col-  
ligant se, ut magnitudinem augeant, ac ad statum  
suum priorem redeant, myuri reciproci uocabun-  
tur: quod si non redeant, sed in eadē paruitate per-  
stent,

stant, myuri sunt anonymi. At uero si nec redeane ad suum priorem statum, nec in paruitate sua perseverent, sed desinant prorsus, & abolecantur, deficientes myuri erunt: uel alij etiam de altera classe deficietes, quos tibi ordine libro primo depinximus. Porro si submoueras digitos, & iterum applices, nihil tamen de pulsu percipias, asphyxia erit, id est pulsum internicio, seu abolitio: que hoc differt a deficientibus, quoniam hi desinunt quidem & abalentur pondere digitorum onerati, sed si manumittas eos sublatis seu amotis digitis, & iterum adrestes admotis, redeunt ac sentiuntur. Asphyxia uero nec post manumissionem, nec in applicantione digitorum, nec in supina, nec prona manus figura, tactum afficit: quoniam constans eius est defectus, & continuus, de qua libro tertio agemus. Ceterum qui post unius, duorum, uel paulo pluriū pulsuum deflectionem in una eademq; manus applicatione, iterum tactui occurrunt, intermitentes esse iudicabis. quibus contrarij sunt intercedentes, seu intercurrentes: ac contraria etiam est eorum ad tactum cognitio. obijcitur enim tactui insperato intercurrens medius, inter duos expectatos. Deficientes uero reciproci hoc discrepant ab intermittentibus, quoniam non redeunt in una & perseverante digitorum applicatione, sed post manumissionē in applicatione repetita.

In equas

Inæquales systematici, qui sunt anonymi, quorum sunt multæ classes (quos inæqualiter fieri, & inæquales esse, libro primo docuimus) illudunt uarietate sua medico: solam enim, & unicam unius generis inæqualitatem, nec in toto corpore, nec in una parte parturiunt unquā: sed ad unius generis inæqualitatē, alia simul tria genera immutantur, quae etiam fiunt inæqualia. Ad inæqualitatem enim (exempli gratia) uehementiæ & debilitatis, adcurrunt magnitudinis & paruitatis, celeritatis et tarditatis, crebritatis et raritatis inæqualitates.

Inæquales autem pulsus compositos, qui nomina habent propria, quos undecim esse, libro primo ostendimus, undosum scilicet, uermiculantem, formicantem, & alios deinceps, eadem arte cognoscens, qua simplices. Bene enim composita noscimus, dum simplicia ex quibus constant perspexerimus.

Libri secundi artis Sphygmicae  
Finis.

Sphygma

S P H Y G M I C A E  
ARTIS LIBER TERTIVS, IO-  
sepho Struthio Posnaniense  
authore.

Causæ pulsuum diuiduntur, & earum proprietates recensentur. Cap. 1.

**C**AUSÆ pulsuum aliæ sunt primariæ, aliæ secundariæ. Primariæ sunt tres, facultas, instrumentum & usus; quas Græci synecticas, id est conti- nentes, & primas nominat, quæ ge- nerant omnes pulsuum differentias. Secundariæ sunt, quæ non generationis, sed mutationis, seu al- terationis iam genitorū pulsuum causæ sunt: quæ trifariam diuiduntur. nam aliæ sunt res naturales, aliæ contra naturam: aliæ mediae seu indifferentes, quas medici res non naturales vocant. Naturæ sunt, exempli gratia, temperamento, sexus, æta- tes. Indifferentes sunt, aer, & eius nomine anni tem- pora, regiones, cibi, potus, exercitationes, somnus, uigilia, & alia id genus. Contra naturam sunt, causa morbi, morbus, & symptoma.

Causæ synecticæ iterū singulæ diuiduntur. facula-  
tas enim alia est robusta, alia imbecilla. instrumen-  
tū arteria scilicet, alia est mollis, alia mediocris, ac  
liq.

lia dura. Vsus alius est auctus, alius mediocris, alius diminutus. Vsum autem uoco finem, cuius gratia fuit pulsus. sit enim tu propter natuii caloris cōseruationem, quæ conficitur distensione refrigerante & flabellante, cōtractione uero quod fuliginosum est excernente: tum propter nutritionem animalis spiritus, ad cuius generationem distensio aptam adabit materiam, nempe aerem.

Synecticarum causarum ea uis & natura est, quod nulla mutari potest, quin etiam effectus eius immutetur. Et priusquam eas adtingat alteratio, non possunt immutari pulsus: ac qua ratione eorum generandorum sunt principia, eadem etiam alterandorum, earum enim in qualitate & quantitate differentiae, pulsum differentias in quantitate & qualitate efficiunt.

Secundarie uero cause hanc proprietatem habent, quod non prius immutant pulsus, donec moueant primarias, id est synecticas.

Cause

Causæ pul suum aliæ sunt	Primarie synecticæ, seu conti- nentes,	Facultas,	Robusta,
			Imbecilla.
Secunda- ria. Sunt uerò res	Non na- turales,	Instrumentum,	Molle,
			Mediocre,
		Uſus,	Durum.
			Auctus,
			Mediocris,
			Diminutus.
		Naturales,	Temperamenta,
			Sexus,
			Aetates.
	Aer,	Regiones,	
			Anni tempora.
	Somnus,		
		Vigilia,	
		Exercitatio,	
		Cibi,	
		Potus,	
		Affectiones animi,	
		Excretiones.	
		Contra naturam,	Causa morbi,
			Morbus,
			Symptoma.
	k	Quæ	

QVAE CAVSAE PROPRIOS PVL  
sus habent, quæ familiares: & qui sint proprij, qui  
familiares. Cap. 2.

C Aus e primariæ, seu synæcticæ, aliquæ edunt  
pulsus id est nati aëxwgit, id est, proprios,  
et inseparabiles: ac præter hos edunt etiā alios sibi  
familiares, quos Græci òmnes vocant. Aliquæ au-  
tem familiares tantum edunt, proprijs carēt. Pro-  
prios uoco, & inseparabiles, qui ab una semper et  
eadem causa proficiscuntur synæctica: familiares ue-  
rò, qui à pluribus causis synæcticis enascuntur, dua-  
bus uel tribus. Quod si ab una aliquando oriun-  
tur, non tamen ab eadem fiunt perpetuò. Facultas  
robusta proprium edit pulsum uehementem: cum  
hoc uerò alios familiares, magnum, celerem, raru.  
Imbecilla facultas proprium profert pulsum, lan-  
guidum: cum hoc uerò alios familiares, paruum,  
tardum, crebrum. Instrumentum molle, arteria sci-  
licet, edit pulsum proprium, mollem: cum hoc uerò  
generatur alij familiares, magnus, celer, rarus. In-  
strumentum durum generat pulsum proprium, du-  
rum: familiares uerò, paruum, tardum, crebrum.  
Vsus auctus, id est, calor increscens, uel indigentia  
spirituum, nullum edit proprium pulsum: familia-  
res tamen habet, magnum, aliquando magnum &  
celere, aliquando magnū & celerē simul, & crebrū.  
Vsus diminutus, id est, calor decrescens, proprium  
etiā

### Liber tertius.

131

etiam nullū habet: sed ei familiares sunt, paruus,  
aliquando simul & tardus: aliquando par-  
uus, tardus simul & rarus: quod ita intelligas ue-  
lim. Dum usus augetur, primum nascitur magni-  
tudo pulsus: si hæc non sufficit, accedit & celeri-  
tas: si neque hæc simul cum magnitudine satisfacit  
necessitatib; ob nimium caloris incrementum, acce-  
dit & crebitas. Tres enim sunt hi modi quærendæ  
opis, ingruente necessitate (exempli gratia, calo-  
re) quorum unus adhibetur, dum caloris in corpo-  
re multum est: duo, dum plus est caloris: tres, dum  
plurimum. Decrementeusu (exempli causa, dum  
calor diminuitur) primum recedit crebitas, secun-  
dò celeritas, postremò magnitudo. Contrarius né-  
pe est, recessus pulsum familiarium aduentui.  
Quare primum erit perspicua raritas, deinde si di-  
minuatur adhuc magis usus, apparebit & tardi-  
tas: quod si maiora adhuc sint frigiditatis incremen-  
ta, superueniet & paritas. Hæc autē uera sunt,  
quando per solum usum auctum, uel diminutum,  
pulsum fit alteratio, nulla alia causa synectica à  
natura descidente. Nam ubi non solum usus, sed  
aliae etiam causæ mutantur, & recedunt à me-  
diocritate, secus erit: de quo iam  
dicamus.


k 2

Dua

Sphygmicæ artis  
DVARVM CAVSARVM A' ME-  
diocritate recessus , facultatis scilicet,  
& usus , quos faciat pulsus.  
Cap. 3.

DVm non solū usus, sed etiam facultas à me-  
diocritate recedunt, quatuor fieri possunt  
coniugationes, seu combinationes diuersæ utriusq;  
quæ etiam diuersos pulsus edunt. Prima, si facultas  
sit robusta, usus auctus , proferent pulsus magnos,  
celeres, crebros & uehementes. quod si plurimū ca-  
lor increuerit, nascentur maximi, celerrimi, creber-  
rimi: quoniā celeres, crebri cum magnis, nō satis  
faciunt tantæ necessitatī. Secunda, dū facultas est  
imbecilla, usus diminutus, edet pulsus paruos, tar-  
dos, crebros, languidos. Quòd si facultas supra mo-  
dum langueat, prodibunt minimi, intermittentes,  
& deficiētes. Tertia coiugatio est ualidæ facultatis  
cū diminuto usu : hæc facit pulsus moderatos ma-  
gnitudine, tardiores, & manifeste raros ( si abūdat  
refrigeratio) uehementes: nimirū magnitudo mode-  
rata usui satisfaciēs, facit diu quiescere arterias, et  
nō adeo celeriter moueri, nō tardē tamē. Cur uero  
magnitudo moderata sit, causa est, quoniā facultas  
ualida seruat mēsurā motus naturalē, licet usus ea  
opus nō habeat. Nā ad hoc ut pulsus manifeste mi-  
nor euadat, in tali causarū coiugatione ne cessē est  
usu multū esse dissolutū, frigiditate supra modū ex-  
cedente.

cedente. Quarta est coniugatio aucti usus cum imbecilla facultate: hec gignit in magno à mediocritate recessu, pulsus paruos, tardos, creberrimos, debiles: in modico excessu, moderatos magnitudine, & moderatos celeritate, crebros, languidos. hec autē in memoriam reducit hoc schema.



Quod uero in prima combinatione, ubi coit facultas robusta cum usu aucto, in modico utriusq; causæ recessu, posuerimus

mus pulsus magnos, celeres, crebros, uehemētes, & nō maximos, nec uehemētissimos, quod fecit Galenus: nō temere id à nobis factū esse puta. suitas enim hoc ratio, iussit experīetia. Experimur siquidē in modica uini boni potatione (que et recalescit corpus, atq; hac ratiōe usum auget, gignitq; bonos spiritus, et alimonīa, ut inde uires hominis fiat robustiores) pulsus fieri magnos, nō maximos, uehemētes, nō uehemētissimos. Ratio uero hæc est, si facultas robusta, usus auctus, ad h. ec instrumētu molle, in modicis à natura recessib. nō faciūt pulsus maximos, nec uehemētissimos, teste etiā Galeno: quod intelliges, dū de triū causarū à natura recessu agemus, cur faceret duarū tātūmodò causarū coiugatio? quasi uero non efficacior & potentior sit triū causarū uis, q; duarū. Quod si scriptoris errato, qui uerba Galeni parū diligēter exceptit, id adscribere uoles, id ego quoq; malo. semper enim Galenū singulari obseruātia colo, et ueneror. Circa quartā coiugationē id obseruabis dum uiget necessitas, id est, dū augetur usus: interim aut facultas debilitatur, primò perditur magnitudo pulsus. Quod si deinceps facultas adhuc magis fuerit debilitata, secundò amittitur & celeritas. Nam inter familiares pulsum differentias, urgente necessitate, omnium difficultas est facultati, magnitudo motus: facilior celeritas. ea uero tanto magis facilis, crebitas. Ab eo igitur languida facultas primum abstinet,

## Liber tertius.

135

stinet, quod ipsi difficilius factu est.

VSUS ET INSTRUMENTI A NATURA RECESSUS, QUOS GENERET PULSUS. CAP 4.



**Q**uod gignit pulsus facultas à mediocritate recedēt, unā cū usū, iā diximus. nūc agēdū nobis est de ijs pulsib. qui generātur ab usū de statu suo recedēte, unā cū instrumēto, facultate nihilo immutata. Sunt aut̄ usus cū instrumēto, quatuor etiā cōbinationes diuersæ. Prima, dū usus est auctus, instrumentū molle, edūt pulsus magnos, celeres, moderatos, crebritate molles. In magno uero à mediocritate recessu, etiā crebros, dū scilicet calor supra modū uiget, et per magnitudinē ac celeritatē nō satisfit officio. tū enim allicitur et crebritas, que supplet quod magnitudo & celeritas præstare nequit. Secunda cōbinatio est, usus diminutus, instrumētū durū. h.ec gignit minores, tardiores, crebriores, si scilicet durities nimiū antecellit: moderatos uero crebritate, si durities instrumēti et usus diminutio ex æquo à natura recedat. Accidit enim, ut & rari sint, dū scilicet refrigeratio præpollet. Tertia est, usus auctus, instrumentū durū: h.ec in modico à natura recessu facit pulsus magnitudine moderatos, celeres, crebros. In magno uero utriuscq; recessu, minores, celerrimos, creberrimos. Quod si facultas etiam ægrè ualeat, erunt & minimi ( sed hic de trium causarum concursu non agimus ) iam si usus recessu suo à natura nimium antecellat, durities

k 4 uero

uerò minus, erūt pulsus maiores, celerrimi, creberi-  
vimi. Si enim uerū est quod antea diximus, duro in-  
strumēto, familiarē esse paruū pulsum ( ægrè enim  
et difficulter dura distenduntur corpora) aucto ue-  
rò usui familiarē esse magnum, meritò maiores in  
hoc statu erunt pulsus, dum usus plus pollet quam  
durities. Semper enim pulsus similior est cause in  
cōiugatione uincenti. Iā dicet quis, Quid est quod  
Galenus in hac cōiugatione nō statuat pulsus ma-  
gnitudine moderatos, quemadmodū nos primo lo-  
co fecimus? fortassis, ut nonnunq; bonus dormitat  
Homerus, sic et Galenus. Verūm libro de præagi-  
tiōe ex pulsib. primo, nō pcul à fine, addidit mode-  
ratos, quorū hic erat oblitus. Verba eius hæc sunt:  
Si uerò et durior facta sit tunica arteriæ, et calor  
increuerit, hoc pulsus moderato durior erit, quo  
arteriæ tunica, at magnitudine æqualis moderato:  
modò quantū calor mediocritatē excesserit, tāto tu-  
nica arteriæ naturali sit durior. Quarta est, usus di-  
minutus instrumētu molle: eius pulsus sunt mode-  
rati magnitudine, tardi, rari. Ea qđe de causa mode-  
rati in primo genere: quoniā quātū mollities tra-  
bit ad magnitudinē sibi familiarē, tātū refrigeratio  
retrahit ad paruitatē. et cū sit utriusq; causa uis æ-  
qua, effectus cōmuniſ respōdebit utriq;. nā neq; erit  
pulsus magnus, quē exigit mollities: neq; paruus,  
adquē nititur usus diminutus, sed medius, quū neu-  
tra causa alteram in recessu à natura præeat. Alio-  
quin


quin praeente mollicie, maiores erunt: praeente uero frigiditate, minores. Porro qd dicimus moderatos fieri pulsus in huiusmodi causaru à natura recessu, ne tibi uideatur absurdum, aut nouum. falluntur enim medici, qui putat moderatos pulsus semper à natura esse comparatos, quū reuera & à causis non naturalibus, & naturalibus, & contra naturam fieri possunt, & fiunt: quando scilicet due cause synectice, que in contrarias partes distractunt, parem uim habent.

I



4

Z



k 5

Facul-

Sphygmice artis  
FACVLTATIS ET INSTRVMEN-  
ti à mediocritate recessus, quos faciat  
pulsus. Cap. 5.

**Q**uando facultas unā cum instrumento si-  
mul recedunt à natura, usū in suo statu re-  
manēte, quatuor erunt etiam combinationes utri-  
usq; cause, quæ diuersos producūt pulsus. Prima est  
facultas robusta, cū instrumento molli: hæc facit pul-  
sus maiores, tardiores, rariores, molles: propterea  
tardiores & rariores, quoniā per magnitudinē de-  
bitā satisfit necessitatī. Secunda est facultas imbe-  
cilla, cū instrumento duro: huius pulsus sunt parui,  
tardi, crebri. Tertia est facultatis robustæ, cum in-  
strumento duro. hæc in modico, & æquali utriusq;  
cause recessu, facit pulsus in omnib. generibus mo-  
deratos: hoc excepto, quòd sint duriōres. At si ex-  
cellat duricies, fient parui, celeriores, crebri. Quar-  
ta est facultatis imbecillæ cum instrumento molli.  
hæc etiā in paruo utriusq; cause recessu, facit pul-  
sus in uniuersis generibus moderatos: præter hoc  
quòd sint molles, ratione arteriæ. In recessu uero in  
modico paruos, tardos, crebros. Quòd si mollicies  
anteuertat, seu præpolleat, accedet pulsus proximè  
ad moderatos. facile enim est, paulo imbecilliori fa-  
cultati, molle uas undiquaq; extendere, et citò loco  
mutare. At si duricies uincat, impeditur distensio,  
& necessariò fient crebriores: propterea quòd

par-

## Liber tertius.

139

paruitas distensionis non satis dat usui.

Iam uero hic obiter notande sunt quatuor regn  
la, quæ & ijs quæ iam diximus, & quæ adhuc di  
stuti sumus, attinent, & scitu sunt necessarie.

### Prima Regula.

Duricies instrumenti plus repugnat magnitudi  
ni, quam celeritati: quia membranae arteriæ, seu tu  
nicæ, quamvis duriores sint, facile tamen cedunt lo  
co, & celeriter cidentur, ad magnitudinem uero di  
stensionis sunt ineptæ. quod enim magna fiat disten  
sio, necesse est in omnem partem seu dimensionem,  
extendi arteriam: palam autem est, quod dura cor  
pora difficulter extenduntur.

### Secunda.

Tanta est societas & communio omnium cau  
sarum synteticarum, quod singulæ modicos reces  
sus à natura, siue errores satis diu ferat, citra offen  
diculum aliarum: at extremos & immodicos nulla  
fert, quin noxam suam communicet alijs. Simile  
quiddam est & inter tria principalia hominis ui  
scera, cerebrū, cor, et hepar, quæ priuatim offendī  
possunt aliquousq;. Sed si immodice offendatur, co  
patiuntur uniuersa. Propterea in ijs causarum con  
iugationibus, dum recessunt à natura, nunquam fe  
cimus mentionem summorum excessuum, sed ma  
gnorum uel modicorum: quoniam maximi non du  
as, sed omnes tres causas immutant, de quibus po  
stea dicetur.


Ter=

Tertia.

Ad efficiendam paruitatem pulsus nulla est efficacior causa,  
quam facultatis imbecillitas.

Quarta.

Crebritas nunquam accerseretur, si necessitati per magnitudinem, uel celeritatem, uel utramq; satis fieret.



TRIE

TRIVM CAVSARVM SYNECTI= carum diuersæ connexiones, quos faci- ant pulsus. Cap. 6.

**D**iximus fideliter, qui nam pulsus profici= scantur à binis causis synecticis, recedenti= bus à natura: superest ut dicamus de recessu omni= um trium causarum. Octo autem fieri possunt ea= rum connexiones, seu coniugationes: quas ut faci= lius percipias, reuocandæ sunt tibi in animum qua= tuor illæ primæ combinationes, de quibus tertio capite egimus. illas enim si numeraueris, addito sin= gulæ combinationibus molli uel duro instrumento, prodibunt connexiones octo. Ac si rectè memini= sti, prima erat combinatio facultatis robustæ cum usu aucto: iam addas illis duabus causis tertiam, in= strumentum scilicet molle, & nascetur prima tri= um causarum cōnexio, seu coniugatio, aut, si mauis dicere, conspiratio. Quod si loco mollis addas du= rum instrumentum, erit tibi secunda trium causa= rum connexio. Secunda combinatio erat facultatis imbecillæ cum usu diminuto: ex hoc etiam, addito molli instrumento, facies tertiam trium causarum cōexionem: durum uero, si addas quartam. Quod si reliquas duas combinaciones eodem modo nume= raueris, adiuncto molli uel duro instrumento, ena= scentur aliæ quatuor trium causarum connexio= nes. Sed iam de singulis ordine tractemus, præ= missis

142 Sphygmicæ artis  
missis ante duabus scitu dignis regulis.

Prima.

Causarum vires potius aestimandæ sunt, quâns  
multitudo. plures enim paucioribus, non semper in  
faciendis pulsibus sunt potentiores. Sæpe siquidem  
una efficax plus potest, q̄ duæ uel tres debiliores.

Secunda.

Tanto quælibet causa ad alterādum pulsum est  
efficacior, quanto magis à natura recepit.

Triū igitur causarū prima connexio est, facultas  
robusta, usus auctus, arteria mollis: hæc facit pulsus  
magnos, celeres, crebritate mediocres. Quod si ue-  
hementes esse nō dixissimus, nec molles, hoc tamen  
semper statuendū est, ut antea diximus, à facultate  
robusta edi pulsus uehementes: à tunica arteriæ mol-  
li, molles. neq; hoc tibi memoria unquam excidat.  
Quod si in hac coniugatione usus magnopere cæ-  
teris præualeat, fiunt & crebri pulsus.

Secunda triū causarū cōnexio est, facultas robu-  
sta, usus auctus, instrumentū durū: si parua est durici-  
es, nascuntur pulsus maiores, celeriores, crebrioses.  
Si aut æquo utraq; causa interuallo deflexerit à na-  
tura, et eo equidē modico (facultas scilicet et usus) fi-  
unt magnitudine naturales, celeriores, crebrioses.

Tertia trium causarum connexio est, facultas  
imbecilla, usus diminutus, instrumentum molle: fa-  
cit hæc pulsus minores, tardiores, crebritate mode-  
ratos. Quòd si facultas magnopere sit lœsa, et plus  
quām

quam ceteræ, erunt parui, tardiores, crebriores.

Quarta est facultas imbecilla, usus diminutus, instrumentū durū: huius sunt pulsus parui, tardi, crebri. Nō sunt tamē sempæquales gradus paruitatis, nec tarditatis: nec crebritatis, sed pro excessu unius cause uario, uel duarū, uel triū, erunt uariæ alterationes, int̄estiores uel remissiones. Si enim due cause uel tres plurimū à natura aberrēt, facultas (exempli gratia) lāguida, usus remissus, instrumentū durum, in hoc casu nihil mirū est, si pulsus sint minimi, tardissimi, creberrimi. At hoc fortasse admiratione dignū est, una lōgisimè aberrante, reliquis duab. saluis, eosdē nasci pulsus. Nā si facultas sola summè lādatur, erūt pulsus etiā minimi, et tardissimi, et creberrimi. Rursum sit facultas imbecilla, usus diminutus, instrumentū durū, omnia tamē non summè, sed extremè talia, nihil necesse est in hoc casu minimū pulsum fieri: sed hæc ex regulis antea datis nota sunt. Quia uero ad generationē extremitatū pulsuum nostra deuenit oratio, proderit hanc regulā hic obseruare. Sunt aliquæ extremitates pulsu, quæ non generantur, nisi cōspirantibus in unum omnibus. trib. causis. Maximus enim pulsus à facultate sola robustissima fieri neqt, citra ceterarū auxiliū. Sunt itē aliae extremitates, quæ interdū ab una sola extremitate lāsa causa nascuntur, interdum ab omnibus. Minimus enim pulsus, nonnunquam ob solam imbecillitatem, nonnunquam ob duarum uel trium causas

Sphygmicæ artis  
causarum extreum à natura recessum prouenit.

Quinta coiugatio est causarum trium, facultas  
robusta, usus diminutus, instrumentum molle. ad  
hanc pulsus sunt moderati magnitudine, tardiores,  
rariores: supra modum uero diminuto usu, mimo-  
res, tardi, rari.


Sexta est facultas ualida, usus diminutus, instru-  
mentum durum: haec facit pulsus minores, modera-  
tos celeritate & crebritate. In magno uero usus &  
instrumenti recessu, minores, tardiores, rariores. Su-  
perante uero duritate instrumenti, magnum usus à  
natura recessum, erunt parui, tardiores, crebri: pro-  
pterea crebri, quia paruitas nō satisfecit necessitatē.

Septima facultas imbecilla, usus auctus, instrume-  
tum molle, p̄eente usu ante alias duas causas, ma-  
iores, celeriores, crebriores sunt pulsus. Mollicie ue-  
ro p̄eente alias duas causas, sunt moderati ma-  
gnitudine, & celeritate, & crebritate: facultate ue-  
ro p̄e ceteris laborante, parui, tardiores, crebri.

Octaua trium causarum coniugatio est, facul-  
tas imbecilla, usus auctus, instrumentū durum: na-  
scitur ex hac pulsus parui, tardi, crebri. Insigniter  
omnibus tribus causis lassis, minimi, tardi, creber-  
imi. tardi, propter infirmam facultatem: minimi,  
eandem ob causam etiam, & ob duriciem instru-  
menti: creberrimi uero, quia urget necessitas, quod  
si etiam non urgeret, ipsa tamen facultatis imbecil-  
itas,

litas, et instrumenti duricies, sufficientes causæ eſſet  
minimorum & creberrimorum pulsuum. Uſu ue-  
rò preeunte ante alias duas causas, modice aber-  
rantes, erunt pulsus maiores, aut moderati magni-  
tudine, celeriores, crebri. Propterea maiores, ex  
non magni: quoniam duricies instrumenti, magni-  
tudini multum resistit. celeriores uerò, quoniam  
et ſi hoc uerum eſt, quod facultas multum imbecil-  
la celeritate non gignat, tamen quæ paululo eſt im-  
becilio, cogente uſu celeriores, prout potest, facit  
motus, non tamen celeres. Propterea uerò crebri,  
ut neceſſitati ſatisfiat: & quanto maior imminet ne-  
ceſſitas, labascit autem facultas, tanto magis uiget  
crebitas. Paruitas autem tanto inſignior naſci-  
tur, quanto eſt instrumentum curius, & facultas  
imbecillior.

Moderatos, tardiores, ratioreis, usū multum diminute minores, tardi, rari.  
 Minores, moderatos, duabus preualentibus minores, tardiores, ratioreis, siūt & parui preualente duricie.  
 Maiores, celeriores, crebriores, mollicie preualente moderatos, facultate uero parui, tardiores, crebri.  
 Parui, tardi, crebri, omnibus multū læsis, minimi, tardi, creberimi.



Magnos, celestes, moderatos, praualeente usū crebros.  
 Maiores, celeriores, crebriores, uel naturales, celeriores, crebriores.  
 Minores, tardiores, moderatos, multio laſa faculta-te, parui, tardiores, crebriores.  
 Parui  
Tardi  
Crebri.

DE QVORVNDAM PVLSVV  
simpliciū causis synecticis, & concausis. Ca. 7.

**E**x ijs quæ hucusq; diximus, facile cōstabit cōsideratiōnē, quæ sīnt cause primariæ omniū pulsū tā simpli-  
cū q̄ compositořū. Quia uero ex simplicib⁹ sunt  
quidā, qui peculiares quasdā causas habent, p̄t p̄t  
tres synecticas: fuerit forsitan operapreciū, si de ijs  
aliquid etiā apposuerimus in hac nostra lucubra-  
tione. Sūt uero huiusmodi pulsus de primo genere,  
quantitate scilicet distensionis, altus, humilis, latus,  
angustus, longus, breuis, gracilis, turgidus. Eorum  
enīm causas scire, medico tam ad res noscendas p̄r-  
sentes, quām futuras plurimū conducit.

Cause igitur horum singulorum sunt, unius, uel  
duarum causarum synecticarum à natura recessus  
(de quibus anteā diximus) cum aliquibus ouer-  
tioris, id est, concausis. Voco autem concausas, quæ  
non faciunt nec constituunt effectum, sed sine illis  
tamen effectus non fit. Tales autem concause in  
generatione horum pulsuum, sunt quinq;: Crassis-  
tudo corporis, gracilitas, locus circa arteriam, gra-  
uitas superiacientium, & formationis proprietas.  
id quod exemplis clarius ostendetur. Altus pulsus  
causa est facultas robusta, usus auctus: concause  
uero, crassities corporis mediocris, locus circa  
arteriam strictus. Nam dum locus seu spaciun-

in quo mouetur arteria (de quo libro secundo di-  
ximus) fuerit ob crassiciem corporis exile, nece-  
fitas autem cogat, magnam fieri distensionem, fa-  
cilitate non refragante, arteria cum nō habeat quō  
se distendat libere, nisi cutem uersus, pars eius que  
cute tantummodo obducta est, liberius præ cæteris  
extendetur, aliæ autem adnata carne uel adipe im-  
pedietur. Quare quatenus est arteria soluta, et cute  
duntaxat obducta, non poterit illius motus nō præ-  
stare cæteris: quod nihil aliud est, quam altum fieri  
pulsū. Simile est quiddā quod pueri faciunt, dum  
ex calamo seu arūdine fistulā ad canendū apparāt,  
abscisso alicubi cortice exteriore arūdinis, relictā  
tantummodo mēbrana eius tenui interiore integra.  
Quoties enim eā inflant fistulā, quia cortex arūdi-  
nis undiquaq; durus obstat, fistula nō distenditur: so-  
la mēbrana tenuis, ubi est excorticata, liberè exten-  
ditur, & sola in altū attollitur, quam pueri digitis  
uarie adrectant, ut sonū uarent. Quid si facultas  
sit robusta, usus etiam auctus, locus uero circa ar-  
teriā amplius: nascetur pulsus nō altus, sed magnus,  
quoniā libera est arteriæ in altū longū et latū di-  
stensio. quod uidere est in macilentis corporibus,  
dum uel irascuntur, uel aliqua alia ex causa recale-  
fiunt, & concitantur.

Humilis pulsus causa synectica est, facultas im-  
becilla, concaussa crassities corporis. adeps enim ex  
caro,

## Liber tertius.

149

caro, profundē demergunt arteriam sese debiliter adtollentem, fit etiam sēpius humilis pulsus, & in macilentis et in crassis corporib. ex naturali forma= tione: quia natura profundē inseruit arteriā, ut ex tima eius pars uix adtingatur, obliqua nequaquā.

Lati pulsus caussa est, facultas non ultra modum languida: cōcausē uerò, locus amplius, et grauitas su periacentiū partiū. Quum enim suo robore facul= tas deficiatur, et amplū sit circa arteriā spaciū, sub= limis uerò pars arteriæ deprimatur pondere uel cu= tis ( quia rugosa est, ut fit in senib. et ijs qui copio= sam in crisi euacuationem pertulerunt, ob quam cu= tim condensari sit necesse: uel quorū calor & spi= ritus intrò recesserū ) uel pōdere tunicae arteriæ, q̄a madet, et imbuta est humore copioso, ut fit in hy= dropicis: oportet ut partes arteriæ sublimiores de= labātur, demittanturq; partim in cavitatē arteriæ, partim in obliquū. Quatenus ergo deorsum demit tuntur, hactenus ascēsu prohibētur: augetur igitur latitudo, diminuitur altitudo. id qd' accidit paſſim canis omnibus teneris et mollibus: quæ dū superne comprimuntur, altitudini earū detrahitur, interim ipſe latiores redduntur. Quod uerò Paulus Aegi= neta, et secundū cum Leonardus Fuchs, latitudi= nis pulsuū causam afferant, humorem plus iusto a= bundantem: absurdum dictu est, et à ratione alienū. nā plenitudo uasis magnū potius faciet, uel altum.

l 3

Gra=

Gracilis pulsus causæ sunt, facultas infirma, durescens instrumēti: concusse uero, gracilitas corporis, subtilitas cutis, et siccitas. hæc enim omnia si conueniant simul, efficiunt pulsum trib. non nunquam et quatuor digitis occurrente, longū scilicet, et adeo angustū, ut sit instar fidis, aut pili extensi. languida enim facultas, non potest distendere arteriam durā in latū et altū. humiliis igitur fiet pulsus, et angustus. sed macilētus corporis habitus, et cutis subtilitas longitudinem eius detegit: quam tactus tanto magis percipit, quanto arteria est durior. Qui autem proprius pulsus longus vocatur (est autem ille, qui ipsa longitudine excellit, duabus alijs dimensionibus nihil à moderato recessentibus) fit uel ex gracilitate corporis, uel à natura formatrice, si talis ab initio formatus est. Turgidū pulsum facit usus auctus, crassus corporis habitus, formatio seu figura arterie gibba. Contingit enim sepe, paruam partem arteriae sola cute tegi à natura, utring; uero partes eius in profundum deflecti in carnem & adipem. pars igitur illa parua sublimis, sola motum prodit: reliquæ, quia immerse sunt funditus, occultant. Qui autem proprius breuis pulsus est (ille uero est, qui ipsa breuitate sola desciscit à moderato, nihil autem latitudine) à natura ut plurimum talis formatur, uel crassities corporis demittit de eius longitudine.

DE

## DE CAVSIS RHYTHMO=rum synecticis. Cap. 8.

**Q**uam incerta sit temporum in rhythmis cognitio, et rationi potius subiecta quam sensui, ut libro secundo docuimus: non est quod hic de causis rhythmorum, quos ueteres descripsérunt, inquirendis satagamus. Sed rhythmorum Galeniconum causas exponere, hoc opus est, utile et necessarium, nam cognitione eorum est facilis, et res multas ac insignes ad præsagiendum commonstrat.

Quum omnes causæ synecticæ, quæ tres sunt numero, secundum naturam se habeant, sintq; in optima comoderatione, proferent rhythmos pares seu æquales moderatos: quod fit in optima corporis constitutione, seu quadrata, aut quæ proximè ad quadratam accedit. qualis est distensio, talis et contractio. Moderatam autem celeritate et tarditate huiusmodi corporis constat esse distensionem, et contractionem etiam moderatā. Quod uero corpus ab inculpata illa temperie deflectit, necesse est in eo causas synecticas pulsuum præuaricari, immutariq; fiet igitur rhythmus non moderatus, sed æqualis nihilominus. Tres enim rhythmri æqualis docuimus esse species. Vsu aucto utriusque motus contractionis et distensionis, nascetur rhythmus æqualis celer: diminuto uero utriusq; motus usu, fiet æqualis tardus.

Porrò quis sit usus, & quam diuersus horum motuum, uel ex ipsa pulsus definitione didicisti, contractionis enim est, excrementa fumosa expurgare, seu excernere; distensionis, adtrahere frigidā substātiā, gratia refrigerij, et generatiois spirituum, ac sufflationis, seu uētilationis, que quod extinguitur accedit. Quū igitur aqua necessitas fuerit cōtractio-  
nis et distensionis, pares et aequales prodeunt rhythmī: dū uero discrepat cōmunes hi, et à natura con-  
cordes, natuii caloris custodes motus, ita ut maior  
emergat necessitas expellendi fumos, quia copiosi  
sunt, quam adtrahendi aerem: recedetur iam ab ea-  
qualitate rhythmī, eritq; contractio celer, distensio  
uel moderata uel tarda, pro diuersitate caloris. ni-  
bil enim mutato calore, fit moderata: tarda uero, si  
eius fit diminutio.

Quod si excremēta mediocria sint, que pulsus e-  
ssent, erit cōtractio moderata. distensio uero uel ce-  
ler, si ingēs sit calor: uel tarda, si paucus. Sit uero cō-  
tractionis usus diminutus, id est, pauca excremēta,  
prodibit tū cōtractio tarda, distensio uero moderata  
in mediocri calore, uel celer in aucto.

Quae uero sint dispositiones corporum, in qui-  
bus hæ rhythmorum differentiae reperiantur, co-  
gnosces, ubi de causis pulsuum secundarijs sermo  
erit: & dum de Prognosticis uerba faciemus. hic  
enim tantummodo causas synecticas exponimus.

Qui

Qui autem artis sphygmicæ peritus esse uolet, hic  
in causarum omnibus generibus sedulò exercita-  
tus esse debet, ut quicquid propositū ipsi sit, uel ac-  
ciderit in alteratione pulsuum, explicare ualeat.  
Pars uero exercitationis optima & præcipua est,  
ut synecticas causas, quam ob rem generare queq;  
pulsuum posse, perpendat.

Quemadmodū uero qualitate motus, celeritate  
scilicet, et tarditate, sæpius differt distensio à cōtra-  
ctione: ita et alijs quatuor generib; quātitate scili-  
cet distensionis et cōtractionis, crebritate, uehemen-  
tia, præterea mollicie tunicæ. Sed quia præter quali-  
tate motus nulla alia pulsus differētia in cōtractiōe  
dignosci potest, inanē operā luderet, q; hæc descri-  
bere uellet. oporteret alioq; in ipsis arterias digitū  
intromittere, qui omnes contractionis differentias  
cuperet cognoscere.

#### SYSTEMATICA IN AEQUALI- TATIS QUÆ CAUSÆ SINT. Cap. 9.

**I**Næqualitatēs duo sunt prima genera, ut scis. est  
enim systematica una, siue collecticia: altera sin-  
gularis, quæ in uno pulsu fit. De collecticia igitur,  
quia omnib; facilior est cognitu, prius dicemus. nā  
& libro primo de ea, priore loco disseruimus. Exi-  
git siqdē hoc ordo doctrinæ, ut quæ notiora sunt,  
& captui humano magis exposita, in docēdo præ-  
cedat. Systematica igitur inæqualitatis causæ syn-

eticæ sunt, instrumētū læsum, seu inēptū, uel facul-  
tas imbecilla, uel utrūq; Vsus uero alteratio, nunq;  
causa eius est. Qui enim fieri potest, ut ita subito  
usus seu necessitas pulsus uarietur, quām subito in-  
æqualitas pulsuū tactu percipitur: & siue crescat  
calor, siue decrescat, siue augeatur spiritus anima-  
lis, siue diminuatur, propterea tamen prior pulsus  
nunquā fuerit magnus, celer, uehemens: alter uero  
statim paruus, tardus, läguidus. Si tamē dū immutā-  
tur usus pulsuū, inter plurimos pulsus, posteriores  
qui nūc fiunt, conferas cum ijs qui non paruo tem-  
poris interuallo præcesserūt, apparebit tibi poste-  
riores impares esse prioribus: quod reuera ita est,  
ut sit in balneis, exercitationibus, uini potionibus,  
in quib. pro incremēto caloris, pulsus cōvertūtur  
ad magnitudinē, celeritatē, crebritatē. hæc uero ra-  
tio dictat, nō sensus. Tactus enim secundū pulsum  
nunq; discernet manifestè auctiōre à primo. In æqua-  
litatē igitur sensibili nunq; ab usu immutato profi-  
cisci uerū est. At in æqualitas que ratione inuesti-  
gatur, que meretur magis nuncupari diuersitas, q;  
in æqualitas, dici potest ab usu immutato enasci.

Instrumētū inēptū redditur, uel cōpressiōe, uel  
obstructione, uel repletione. Cōpresso aut̄ seu ad-  
strictio fit, dū loca in quib. mouētur arterie (de quib.  
secundo libro dictum est) occuparūt humores  
diffusi: quos ut molestos, facultas studet uehemen-  
bus

tibus & magnis ac celerib. motib. propellere: pro pellitq; dū potest de loco in locū, de parte nobilio= re ad ignobiliorē, aut ex ignobiliorē ad nobilio= rem, si nō dominatur illis facultas, quæ paruis, tar= dis, languidis motib. uice priorū utitur: & nūc ijs, nūc illis, tātis per donec uel meatū aliquē reperiāt, per quē foras effluāt: uel processu tēporis subtilien tur, adtenuentur, & in halitū resoluāt: uel ho= minē perimāt, prostrata uirtute. fit etiā cōpresso per inflāmationē, abscessus, scirrhos, si mēbra arte rijs prædita obſideāt & uinciāt: sed tamen per ma iora interualla, & lenti circuitibus inæquales pul sus tum succedunt æqualibus, eo quod horum tumo rum lenta quoq; est immutatio.

Obstructio fit à crassis uiscidis humoribus, qui impingunt in arterias: ac magis, si in orificio cario insignia, qualia sunt in illis locis, ubi ex magnis ar terijs diuersi rami propagantur: maxime uero, si prope cor, aut in corde. tum enim liber trāitus spi ritibus per canales suos non datur: proinde uariā inæqualitatem nasci est necesse.

Repletio uero fit à copia sanguinis, in uenis aut arterijs contenti. Nam si in uenis contine tur, necesse est ut arteriae quæ uents ubique adiecent, comprimantur. distentæ enim uenæ nō minus premūt, quam tumores. Quod si in arterijs contineatur

neatur sanguis superfluus , fieri non poterit , quin plenitudo illa prohibeat spiritibus liberum transi- tum , sicut & obstructio : deest etiam amplitudo loci , ad constrictionem arterie .

Facultatem autem imbecillam diximus etiā causam esse inæqualitatis systematicæ : quod ita accipias uelim . facultas inualida ad suum opus ( id est , ad efficiendū pulsū ) redditur , uel quia grauatur nimio onere , licet ex se sit satis robusta : uel quia est infirma , ob resolutionem tēperamenti : uel quia est distracta , seu irritata . Commune enim dictū est , uirtutem unitam , fortiorēm esse quam distractam . Grauata facit pulsus inæquales : infirma debiles , paruos , tardos , crebros , & quædā genera inæqualitatis , de quibus infra . Distracta , seu irritata , profert etiam inæquales . Quum enim robusta & intergræ est facultas , actiones suas integras perficit . Dū uero robusta est , sed impedita ( impeditur aut̄ , dū oneratur seu grauatur ) profert corruptas et inæquales : infirma , diminutas . Quæadmodū homines sani & ualidi , dū ambulant ex instituto , & quis semper & magnis paſſibus incedunt : dum uero ægrotant , uel senio uires habent adtrittas , minimis & infirmis paſſibus serpunt , ac tardis . Quòd si sani sint et robusti , compedes aut̄ habeant ſibi adligatos , grauientur nunc magnis , nunc paruis paſſibus , nūc celeriter , nunc tarde , nunc crebro , nūc interpolatim ,

nunc

nunc fixis pedibus, nunc uacillantibus, prout uincula finunt: sic se res habet de onerata, debili, & distracta facultate uitali.

Cæterum distracta facultas fit per duplice cordis intemperiem, uel alios diuersos affectus, quos molestè fert facultas. Reperiuntur enim nonnumquam aliæ partes cordis, uel aliorum membrorum calidiores, aliæ frigidiores: illæ magnos pulsus, celeres, raros, uehementes exposcunt: hæ uero paruos, tardos, crebros, languidos: et dum illis satis fit, ad has deinde facultas attendit. fiet itaq; uicissimudo omnium pulsuum, & inæqualitas. prodeunt inde & dicroti, de quibus infra latius dicetur. Infirma facultas efficitur, dum temperamentum cordis, uel membra, cuius pulsum adtrectas, dissoluitur intemperie. cuius multi possunt esse gradus: & quanto superiores, tāto deteriores. In modica enim intemperie, sunt parui, tardi, crebri, languidi: in maiore myuri reciprocí, in maxima myuri non reciprocí: ultra quam si adhuc recedatur, prodibūt intermitentes, in longinquiore recessu deficientes, ultimo asphyxia, id est, pulsuum priuatio. Est autem asphyxia duplex, altera uera, altera apparenſ. Vera est, cum motus arteriarum perit, atque hoc per totum animal accidat, ut nulla usquam arteria moveatur. hæc in corpus uiuum non cadit: ipsa enim mors est. Apparens uero est, dum tactui nostro

nostro nusquam arteriæ motus offertur, immo occultatur omnis in omnibus membris. In hoc uero, sicut in ceteris, pulsus & respiratio proportione sibi respondent: neutrum siquidem radicis exterminari saluo & superstite animali potest. Quod autem interire uideantur propter paruitatem, mirum cuiquā uideri non debet. nō enim in ijs modis, uerum quoq; & in ceteris omnibus, quæ sumimè parua existunt, falli sensus, commune est:

In a-

	Compressionē, seu ad-	Humoribus, in locis circa arterias.
	strictionem, quae fit ab	
Ineptum instrumen- tum, uel propter	Obstructionē, quae fit ab humoribus	Tumoribus.
		Grossis,
		Viscidis.
Inæquali- tatis sys- maticæ cause, sunt aut	Plenitudinē quo- ad uires, uel in	Venis,
		Arterijs.
		Onerata plenitudine, quoad uires, facit inæquales anonymos.
Facultas imbecil- la, uel quia est	Distracta, seu irritata, etiam inæquales anonymos, & dicrotos.	
		1 Paruos, tardos, languidos, crebros.
		2 Myuros recipro- cos.
	Infirma ob intē perię, quæ secun- dū diuersos gra- dus facit pulsus	3 Myuros non re- ciprocōs.
		4 Intermittentes.
		5 Deficientes.
		6 Asphyxiam.
		Et hæ

Et hæ quidem sunt simplices causæ inæqualitatēs systematicæ, quæ edunt quosdam pulsus inæquales, sibi proprios, id est, qui unam & eandem causam semper habent: quosdam autem familiares, id est, qui non ab eadem semper causa proficiuntur. Proprijs sunt infirmæ facultati, myuri, deficiētes, asphyxia. Intermittens autem ei est familiaris, non proprius. Potest enim intermittēs pulsus fieri, uel à facultate infirma, uel à ualida instrumentorum obstruktione, uel adstrictione, quæ discernere docebit liber quintus. Intercurrens uero, seu intercidens (qui etiam de numero est systematicorum inæqualium) proprius est facultati robustæ, quæ uel copia humorum grauatur, uel instrumentoru obstruktione. Dum enim facultas robusta conatur ea quæ se molestant expellere, non tantum magnos, celeres, & uehementes motus adhibet, sed etiam plures. Et sunt alti pulsus eiusmodi, prominuntq; excretiones criticas, ut in Prognosticis docebimus.

Compositæ uero causæ ex simplicibus constant. Nam siue comprimantur arteriæ, siue obstruantur, nascitur inæqualitas pulsus, licet facultas non afficiatur. Quod si & facultas male tum habeat in huiusmodi instrumentorum dispositione, propterea quod onerata sit plenitudine, & infirma extemperie, ac distracta multiplici malo: manifestum

flum est, omnigenam in equalitatem pulsuum inde profecturam esse.

INTERMITTENTIVM SIN-  
gularium quæ causæ sint.

Cap. 10.

Inequalitatis singularis (nam de eius causis nunc dicere, ordo quem sequimur, nos cogit) duo sunt genera subalterna, ut libro primo ostendimus. Alterum, quod fit in una parte arteriæ: alterum in pluribus partibus. Quod in una arteriæ parte fit, quam unus adtingit digitus, tres habet species, intermittentes scilicet in uno pulsu, impares, citatos, & dicrotos. De singulorum igitur causis iam disseremus, ac primò intermittentium, quorum nouem differentias esse didicisti. Prima est, dum prior pars distensionis est celer, posterior, post quietem intersecantem tarda. Secunda est utraque pars distensionis celer. Tertia celer, moderata, & lique in tabella libri primi facile perspiciuntur.

Causæ omnium sunt eadem genere, quæ & in equalium systematicorum, sed efficaciores multo, & deteriores. Nam si quæ compressiones, obstructiones, grauationes, multiplices intemperies, infirmitates ipsis adsunt, oportet esse maiores & insigniores: quod uel inde coniicias. Quoniam hæ non sinunt nedum integros pulsus (quales cernere est inter intermittentes systematicos)

m confici,

confici, sed ne partes quidem eorum integras: quoniam distensiones eorum intersecantur quietibus admixtis. Quamuis autem praui sint omnes intermittentes singulares, sunt tamen eorum prauitatis excessus intenses & remissiores. Quorunq; enim motus uterque, ante quietem scilicet, et post quietem, sicut celeres, optimi sunt: pessimi tardi: medi bonitate, moderati. Qui uero intercedunt inter medios & extimos utrosq;, tantum bonitate uel prauitate pollent, quantum cum eis participant. Nam posterior pars motus, si fuerit tarda, prior celer, indicat plus grauari facultatem humorum abundantia (si hæc fuerit eius causa) quam si uterque motus fuerit celer, qui adtestatur facultatem reniti & repugnare, ac se ad tollere aduersus copiam humorum. Celeritas enim, ut nosti ex ijs que amica dicimus, amica est facultati ualide, cui præstò solet adesse: tarditas contrà imbecillæ facultati sesociare consueuit. Additur autem ad bonitatem humorum, si non solum fuerint celeres, sed etiam magni & uehementes: præterea, si quies, quæ eos dissecat, fuerit exigua. hæc enim declarat, facultatem strenue contendere cum morbo, & eius causis. Præ uitatem uero auget, paruitas, debilitas, & diutina quies, eos dissecans. hæc enim omnia si aduerint uni pulsui intermittentem, denunciant prosternent facultatem ab humorum diluicem (si ij causa fuerint

eius

(ius inæqualitatis) uel obstructionē eſſe iſignem prope cor, uel compreſſionem plurimas aut maxi mas arterias obſediſſe.

Hoc uero intermittentibus singularibus ſemper additur, quod uſum ſeu neceſſitatem urgentem ſem per habent comitem. Niſi enim uſus adauetus urge ret et cogeret, facultas onerata multitudine humo rū, aut impedita obſtructione, aut obſeffa cōpreſſione, uel languida ex resolutione, nunquam cona retur ſecundum motum poſt interſecanem quie tem adgredi: ſed ubi eſſet primum inhibita, ibi de fineret diſtensionem, faceretq; paruum pulſum, qui eſſet loco partis diſtensionis, ante quietem interſe cantem: quemadmodum defatigatus equus ad mo la, laeſus aliquo offendiculo, ad quod impegit, ceſſa ret a curſu, ni eum adigeret ſequax auriga ad ul teriorem progreſſum.

### IMPARIVM CITATORVM que cauſe ſunt. Cap. II.

**Q**ui pulſus inæquales ſunt ſingulares in una parte arteria, abq; quiete interſecante, dum ſcilicet priores partes motus ſint celeriores, posteriores uero tardiores: uel econtra priores tardiores, posteriores autem celeriores, motus continuo perſeuernante, no interſecto per interme diam quietem, & uero ſequaciuos, id eſt, impares citatores appellauius: quorum genera ſub alterna ſunt duoi

nam alij æqualiter suam inæqualitatem cōficiunt: suntq; eorum sex differentiæ. alij inæqualiter, quo rum differentiæ sunt multo plures. omnes uero easdem causas habent, quas intermittentes singulares habere diximus: sed non tot numero, nec tam sœuas & insignes. Oriuntur enim ex obstructionibus, uel compresionibus, sed minus difficultibus quam intermittentes: ab onerata etiam facultate, sed tamē minus onerata quam intermittentes. Non enim æquè malum est alterari motum, et interrumpi uel dissecari quiete media.

Licet autem benignior est ea inæqualitas imprium citatorū, quam intermittentium singularium, est tamen peior quam systematica. Quanto enim claudicatio assidua equi ex deteriore malo proficitur, quam ea quæ per interualla fit interpolatim, tanto inæqualitas singularis peior est collecticia. Sunt tamen inter impares citatos etiam alij peiores, deteriores alij, quidam pessimi, quidam optimi: quos facile dijudicabis, si reuocaueris tibi in memoriam, censuram intermittentium singularium, de qua in anteriore capite dictum est luculenter.

Quid uero est quod diximus, easdem causas istorum esse, sed non tot numero quot intermittentium? Quoniam debilitas facultatis sœpe causa est intermittentium, at imprium citatorum nunquam. Ratio in promptu est, quoniam debilitas facultatis, si facit

si facit inæquales pulsus, eos paruos esse oportet,  
ut antea docuimus. paruitas enim debilitatem se-  
quitur: impares autem citati, omnes sunt magni.  
quod inde constat, quoniam in duas et tres, nonnullam  
& quatuor partes diuersas distensio eorum dividit  
potest, quod paruis neutriquacum competit. Et hoc est  
quod ait Galenus, ἡ μηδὲ λυομένη τῆς θεραπείας  
σύλληψις τὸ τριπλόν ξύνταξις, μεγάλοι γαρ οὐ παντεῖς εἰσὶ: A  
resoluta facultate, nullus horū fit, magni enim sunt  
omnes. Quem locum Galeni perperam transtulit  
Latinus interpres, ijs uerbis: Verum tamē oppressa  
quidem facultate, nullus horum existit. Quasi uero  
idem sit oppressa & resoluta facultas: quod qui  
ita esse existimat, in maximos errores circa agro-  
tos incidet. Nos uero hæc à st inuicem multum dif-  
ferre, breuiter antea docuimus: postea uero libro  
quinto latius de ijs dicturi sumus.

Quoniam autem ex imparium citatorum nu-  
mero sunt quidam, qui motū distensionis subito mu-  
tant ad contrarium, quum scilicet prior pars mo-  
tus fuerit celer, secunda tarda, uel ediuersò prior  
tarda, posterior celer: scire oportet huiusmodi pul-  
sus non simplices causas. h. here inæqualitatis, sed  
compositas: id est, non tantum à grauata facultate  
proficiunt, sed adesse simul obstrukcionem, uel ad-  
strictionem instrumentorum, non equidem fixam,  
sed facile permutabile. Qui enim fieri posset tam

magna & subita mutatio ex solo grauamine facul-  
tatis, quod paruo momēto tēporis reiſci nō potest;

DIC ROTORVM PVL SVVM

quæ causæ sunt. Cap. 12.

**D**icerotorum pulsuum causa est, inæqualis  
cordis intemperies, uel arteriarum, non  
qualiscunq;. nim est eius magna uarietas: sed dum  
partes cordis quedam sunt multum calide, mun-  
dæ tamen: quædam uero multis fumosis uaporibus  
refert. id est, immundæ: tum enim ad oppositos mo-  
tus fit prouocatio. Aliæ enim partes cordis disten-  
sionem appetunt, calidæ scilicet mundæ, refrigerationis  
indig: aliæ contractionem eodem tempo-  
re, immundæ scilicet, ut se expurgent, sicut igitur di-  
stensio & contractio diuersimodè, pro uictoria  
diuersa alterutraru partii. Vincentibus enim cali-  
dis partibus mundis, conficitur distensio: sed cōcedi-  
tur nihilominus aliquātula etiā cōtractio immuni-  
dis partibus. Tum aut dicuntur uincere partes, dum  
uel plures sunt, uel intēperationes multo. Contra-  
stio aut uel retrahit distensam arteriæ tunicā, ante  
quā perfectè distendatur, uel dū iam perfectè diste-  
nsa est, uel toto distensionis tēpore: aliæ partes tuni-  
cæ nituntur distendi, aliæ eodē tempore contrahi,  
superantur tamē à distendētibus cōtrahentes, quæ  
remorantur distensionem. Simile eius rei est, quod  
quæ aliquando uenit duobus in itinere contenden-  
tibus,

ebus, ac sibi inuicem reluctantibus, dum alter alterum ab incepta via conatur retrahere. Retractus enim nonnunquam cogitur aliquousq; retrocedere, sed recollectis uiribus iterum reddit ad iter suū, secumq; rapit adhærentem sibi pertinaciter aduersariū: fitq; tū impeditus eius progressus, licet aduersarium supererit. Sic igitur diuersæ partes cordis diuersimodè affectæ distendunt & contrahunt se se, arteriarumq; tunicas distendi & cōtrahi cogunt, prout refrigeratione uel expurgatione indigent.

Sed quid est quod diximus, magnā eſe inæqualis intēperie cordis uarietatē? Quoniam præter hæc quæ dicrotorū pulsū causa est, calidā mundā, & calidā immundā, reperitur alia quæ nō simplex, sed duplex est, dū scilicet partes cordis aliæ sunt calidæ, aliæ frigidæ: hæ moliūtur paruos, tardos, raros pulsus: illæ maiores, celeres, & crebros. Quare quæ plures sunt, & potentiores multo, cogunt totū cor & arterias profuāratione moueri. si enim frigidæ sunt, paruos, tardos, raros motus sens per efficiēt. At si plures fuerint, et potētiores calidæ, facient motus perpetuò maiores, celeres, et crebros. Quòd si uero non multo sint potētiores aliæ alijs, sed sit earum excessus modicus, ita quòd aliæ parū excellat alias, fiet tū cōtrouersia ac mutua cārū contentio, uiciſſimq; uincere & uincemur: nascetur uero inde inæqualitas anonyma pulsuū,

tam singularis, quam systematica: de quo antea etiam diximus, sicut igitur nunc maiores, celeres, & crebri: nunc parui, tardi, & rari.

Est & tertium genus inæqualis intemperiei cordis, quæ etiā duplex est, non unica: dum scilicet substantia cordis est calida, contenta uero materia in sinibus eius, quos uentriculos uulgò vocant, fuerit frigida: uel è diuerso, substantia cordis frigida, contenta uero calida. hoc genus inæqualis intemperiei cordis, profert pulsus aliquando inæquales systematicos & singulares, aliquando uero per omnia genera moderatos. Quando enim tanta est caliditas substantiae cordis, quanta frigiditas contentorū: uel econtra tanta sit frigiditas substantiae cordis, quanta caliditas contentorum: fiet pulsus magnitudine, celeritate & crebritate moderatus. Si uero intemperies substantiae cordis & contentorū, non æquos gradus habeant contrariarum qualitatum, sed excellat, modice tamen, uel cor, uel ea quæ in corde continentur, nascentur pulsus inæquales systematici, & singulares, propterea uero diximus, si modice excellat: nam si supra modum excedat, fiet pulsus continuus, pro ratione uincens. Quod uero diximus de contentis in corde, idē intelligas & de viciniis cordi: vicina uero sunt, peri cardios tunica, pulmo, arteriæ & membranæ prope cor in thorace. Hæc enim omnia, uel aliqua ex ijs, si in

si in intemperiem aliquam incident, excitabunt e-  
osdem pulsus, quos ex ea quæ contenta cordis uo-  
cauimus, sanguis scilicet, & spiritus, & humores.

Iam dicet quis, Docuisti quæ sit causa dicroto-  
rum pulsuum, nempe inæqualis cordis intemperi-  
es, uel arteriarum; sed nondum ex dictis tuis con-  
stat, an synectica hæc causa sit, an uero secunda-  
ria. Cui nos id responsum esse uolumus, inæqualem  
hanc intemperiem, causam esse synecticam dicro-  
torum pulsuum: nulla siquidem intercedit alia in-  
ter hanc, et esse cùm, quæ natura est synecticæ cau-  
sæ, seu coniunctæ. Sed iterum quæreret quis: Si sync-  
tica est, quæ nam est de numero trium? Rectè ab-  
soluerimus hominem, si dixerimus inæqualem intem-  
periem aliquando facultatem esse imbecillam, ali-  
quando usum immutatū, aliquando utrunq;. Quod  
ut intelligas, necesse est ut de essentia facultatis ui-  
tal is breuiter diſferentem auscultes.

Nemini dubium est, causam esse quandam gu-  
bernatrixem ex effèctricem pulsuum: sed quæ eius  
sit essentia, pauci norunt. Alij enim opinantur, na-  
tiuum calorem eam esse; alijs uim nativi caloris, alijs  
temperamenti proprietatem, alijs totam structu-  
ram cordis, alijs spiritum solum, alijs quidpiam ho-  
rum, alijs omnia simul. sunt etiam qui incorpoream  
quandā potentiam eam esse autument, quæ proprijs  
instrumentis ad perficiendum pulsatilem motum

m 5 utatur.

utatur. Ac ipse etiam Galenus fatetur, se diu dubia  
tauisse, quæ nam hæc facultas fuerit: donec tādem  
longa experientia apud ægrotos edocitus didicit,  
nihil aliud reuera esse facultatis essentiam, quam  
temperamentum proprium singularum partium,  
quarum dicuntur esse facultates. Nam tum recte  
obit sua munia quælibet pars, quando est temper-  
atissima: male uero, dum est intemperata: ac  
tanto peius, quanto est intemperior. Quare  
etiam cordis substantia (sive corpus eius)  
dum fuerit supra modum refrigerata, calefa-  
eta, uel humectata, uel exsiccata, pulsus edet  
languidos: ac tanto languidiores, quanto fuerit  
intemperior. Atque hoc est, lesam esse facul-  
tatem cordis, temperamentum eius alteratum  
esse. Quod si contingat, ut spiritus, uel sanguis,  
uel humor alias, qui sit in sinibus, seu uentri-  
culis, suam communicet caliditatem cordi, uel  
pericardios tunica, uel pulmo: non lesa dice-  
tur esse facultas, sed usus immutatus. Eodem  
modo, si refrigerescat, uel refrigeratum sit cor-  
pus cordis, leditur facultas: si uero commu-  
nicatur cordi frigiditas, uel à sanguine uel à  
spiritu, qui exuit naturam suam, uel ab hu-  
moribus, quos continet cor, uel ab inuolucro e-  
ius, uel pulmone: usus tantum fit immutatio, ci-  
teris nōcumentum facultatis. Eodem modo siccit-  
ates

ates & humiditates, quæ in substantia cordis sunt, noxæ sunt facultatis. At uero si fuerint in contentis, uel vicinis cordis, usum non uariant, sicut frigiditas uel caliditas. Cur autem hoc ita sit, hec ratio est. Si enim temperies bona substantiæ cordis facultas ipsa est, quod homini in operibus medicis probè diu que exercitato competissimum est: constat autem temperies ex qua tuor elementis, inter quæ siccum etiam reperitur & humidum, laetetur facultas, dum uel humidum uel siccum abscedat, à sua naturali commoderatione: non immutabitur uero usus, seu necessitas, si uel siccum uel humidum exuberet in contentis uel vicinis cordis. Usus enim, seu necessitatis immutatio fit, dum uel spiritus diminuuntur, uel calidum aut frigidum crescit ultra modum, uel decrescit.

Illud uero perpendendum est sedulo, mala quæ per communionem accidunt alicui membro, si diu perseverent, uel sint multum excellētia, figi, & penitus introire in eius substantiam, ac detrahere multum de temperamento eius, proindeque laedere & dissoluere facultatem.

Ex ijs igitur manifestum est, omnem intemperiem cordis magnam, lesam esse facultatem. Intemperiem autem frigidam uel calidam

magnam

magnam, læsam esse facultatem, et simul immutatum usum, paruam uero, immutatum esse usum dunt taxat: intemperiem calidam uel frigidam contentorum uel uicinorum cordis immutatum esse usum, non læsam facultatem. Quod si intemperies in corde fuerit magna, simul et in uiciniis uel contentis cordis, erit tum et læsa facultas, et usus immutatus.

Cur igitur Galenus libro Methodi curandi duodecimo, uirium nostrarum essentiam docet non solum in solidarum partium temperamento consistere, sed etiam in spiritu, cuius qualitatem et quantitatem debitam nobis custodiendam esse proponit? Propterea scilicet, quoniam spiritus, qui contentum cordis est, si ultra modum immutetur, non solum usum uariat, sed etiam facultatem: quoniam temperamentum cordis et aliarum partium acquisititia qualitate, uel deficiente quantitate, resolutum.

Quis autem Galenus dicrotorum pulsuum causas libro secundo de Causis pulsuum recenset, nos de industria prætermisimus: rationem ex libro nostro primo facile nosti.

**IN AE QV ALITATIS S I N G V L A-**  
ris in diuersis partibus arteriæ quæ  
causæ sint. Cap. 13.

Supereft

**S**uperest adhuc unum genus inæqualitatis pulsuum, quæ singularis est, in uno scilicet pulsu, sed in pluribus partibus arteriæ, quod habet duas species. Nam sunt quidam huiusmodi pulsus, qui sunt motu continuo: quidam interrupto, ut libro primo ostensum est. Horū causas quia Genus nō descripsit, nos nō tam grauatim profremus. Sunt uero causæ eorum, uel facultas imbecilla, uel copia humorum, uel extrema instrumentorum mollicies, unum ex ijs, uel plura, quæ sigillatim manifestemus.

Primum, facultatem imbecillam diximus esse causam inæqualitatis singularis in pluribus partibus arteriæ. Vis enim pulsatrix, quæ ex corde debili in arterias deriuatur, & promanat sicut lumen à sole in hæc inferiora corpora, non potest parè firmitate totum uas attollere, sed propinquiorement scaturienti fonti, id est, cordi partem, magis ad tollit, & citius & uehementius, remotiorement tardius & minus & debilius, donec uis quæ in priori parte erat, permeet etiam ad posteriorem: quæ autem robore, ex minore in maiorem, ex tardiore in celeriorem, ex debiliore in fortiorum motum prospicit. Si enim uirtus pulsatrix pari semper incremento adflueret ad arterias, ut fit in hominibus integrâ ualeudine præditis, nihil mirum esset partes arte-

tes arteriarum, eodem tempore pariter distendit semper: aut saltem propiores partes plus, remotores minus. Sed in ægrotis sæpe hoc ita non fit, in quibus temperamentum cordis, continuè quidem communicatur uasis ei adnatis, sed inæqualiter, alias enim liberalius, alias parcus. Dum liberius emanat, priores partes sunt motu efficaciores; dum uero parcus, posteriores, sed breui tempore, quamdiu scilicet retinent eum tenorem uirtutis, quem à prioribus erant consecutæ. Quemadmodum in balneis, dum aqua frigida lapidibus affusa, calor excernitur à fornaci sede ad ulteriores partes. Primum enim partes aeris fornaci proxime redduntur calidores: postremò uero, quæ longissimè absunt: sed nisi denuò alia fiat aquæ affusio, partes remotores aeris calidores erunt ad tempus, fornaci propinquioribus, à quibus calorem receperant. Copia autem humorum impedit facultatem remorando, detinendo, dirimendo, & scindendo continuum eius progressum: sicut scindit & dirimit radios solis nubes opposita. Non sinunt æqualem esse motum pulsus humores, at eo potissimum loco quo afflunt. quare si et in quibusdam partibus motus maior, celerior & uehementior: in quibusdam minor, tardior, languidior: in quibusdam etiam minimus, ut sensu percipi nequeat.

queat, ac ueluti quiete interruptus appareat ne-  
cessē est, quod ex ad oculos tibi experiri licet. Bo-  
uis enim in abdōmine magnam arteriam si denu-  
daueris, dum uiuat, eamq; undiquaque carne &  
adipe si detexeris, cannamq; ex argento uel stanno  
paulo quam arteria sit tenuorem, facta in lon-  
gum arteriæ foramine, si intromiseris, et quatuor  
fila sub arteriam indistinctis locis si subduxeris,  
que stringenda erunt, et colliganda, ut alla arcti-  
us, alia remissius arteriæ tunicas prehendant, et  
vinciant: uidebis tum arteriæ partes filis diuisas  
& laqueatas, alias magis, alias minus distendit,  
alias celerius, alias tardius. quod si arctissima ali-  
cubi sit filii stricatura, aboletur penitus totus motus  
arteriæ. Sic se res habet et in homine, dum arte-  
riæ affluxu aliquo præpediūtur, adstringunturq;  
facile autem dignoscet, à facultate ne imbecilla,  
an ab humorum copioso affluxu, inæqualitas hæc  
pulsuum proueniat. Hæc enim adiunctam habet  
secum interdum magnitudinem distensionis, illæ  
uerò paruitatem.

Instrumentum aut supra modum molle, talium  
pulsuum nonnunquam causa est. Quu enim tunicae  
arteriaru multa humiditate fuerint imbutæ, nō po-  
tuerunt equaliter omnibus partibus distendi: propte-  
rea quod flaccida corpora, inepta sunt ad motus  
equalem.

æqualem. partes enim eorum principio mouenti proximæ ad tolluntur: aliæ uero interim flectuntur, non ad tolluntur. Quemadmodum funiculum molle in longum diductum, si seorsim ab ambabus terminis, duabus manibus sursum efferas, aliquæ eius partes quæ manibus sunt proximæ ad tollentur, aliæ pendulæ flectentur, aliæ humi demissæ quiescent. At si uirgam siccā et duram efferas ab humo, non idem accidet. omnes enim eius partes pariter sursum erigentur.

**M Y U R O R V M S I N G V L A R I V M,**  
eminulorum, & prominulorum quæ  
causæ sunt. Cap. 14.

**T**am uero ad compositos inæquales pulsus de-  
scendimus: sed subierunt in animum pulsus  
myuri singulares, & qui eminuli siue prominuli  
uocantur, quorum causas prodere utile est. Myuri  
igitur causam habent imbecillam facultatem, quæ  
remotioribus partibus à corde parcus affundi-  
tur, propioribus uberioris. quapropter propiores  
cordi magis distenduntur, remotiores minus: &  
quato partes longius distant à principio, tanto ma-  
nores motus edent. Et hec quidem causa eorum  
est synectica. concausa uero gracilitas est corpo-  
ris, quæ in longum detegit arteriam: alioquin cau-  
dam muris non repræsentaret.

Eminu-

Eminolorum uero seu prominulorum causa est aliquando inaequalis intemperies partium arteriarum: facultas enim a principio, a corde scilicet diffusa in arteriarum tunicas, temperatis quidem partibus melius & expeditius ad motum utitur, intemperatis uero deterius. Nam ab eadem et aequa uirtute pars arteriae temperata, quae debitum calorem & humiditatem retinet, facilius & magis mouetur: que uero supra modum est sicca, uel humida, uel calida, uel frigida, difficultius & minus. Quando ergo pars arteriae inter adrectantes digitos media, fuerit melius temperata, utrinque uero partes intemperatae, maior erit distensio mediae, quam partium utrinque adiacentium. Est & altera eminulorum pulsum causa, quae saepius comperitur in agrotis, quam prior: facultas scilicet imbecilla, & macies membrorum adiacentium. Quia igitur in parte est tenuissima cutis, proptereaque lenissima (est autem haec media, cui nulla caro adnascitur) ibi plus exercit se arteria: in partibus autem utrinque mediae parti adiunctis, quia non sola cutis est, sed caro etiam, licet marcida, necesse est minorem fieri distensionem: agravent enim debiles arteriae, onus superientis carnis.

Sed iam dicet quis, Docuisti causas esse myurorum singularium, imbecillam facultatem, & maciem corporis: nunc uero easdem causas esse aie-

Sphygmicæ artis  
eminolorum, seu prominulorum: qui sicut igitur, ut  
ab una ex eadem causa tam diuersi pulsus produ-  
cantur? Quod si meministi eorum quæ antea dixi-  
mus, facile cedes. Diximus enim, imbecillitatis mul-  
tos & uarios esse excessus, ueluti gradus diuersos,  
qui diuersarum differentiarum pulsus causæ sunt.  
Perperam autem interpres Galeni Latinus, causam  
innuentium seu circumuentium pulsum (sic enim  
ille eminulos uocat) dixit esse ualidam facultatem,  
dum inquit: Vbi enim ualida sit facultas, corpora  
autem quæ ambiunt arterias, marcescant, &c. Dia-  
cendum potius erat, ὅταν μὲν γάρ οὐδεποτε αρ-  
ρωσθεῖ: Vbi enim infirma sit facultas.

Hoc uero silentio prætereundum non est, myu-  
rorum singularium & eminulorum seu prominu-  
lorum pulsum saepe causam esse, naturæ formatio-  
nem. Natura enim nonnunquam aliquas partes ar-  
teriæ demergit, quarum parui propterea apparent  
esse pulsus: aliquas uero suprà effert, quarum con-  
spicuos & maiores esse motus existimamus.

IN AEQUALITATIS IN SITU AR-  
TERIÆ, ORDINIS & ATAXIÆ QUÆ CAU-  
SÆ SINT. Cap. 15.

**S**ed ne quid doctrine nostræ de pulsibus desit,  
nec in æqualitatis quæ sit in situ arteriæ, cau-  
sas subticebimus, nec ordinis & ataxiæ, id est per-  
turbationis ordinis. Tenduntur arteriæ, quoniam tu-  
nicæ

nice earum trahuntur : trahunt autem partes sibi  
vicinas, non solum arteriarum tunicas, tumores o=  
mnes cōtra naturam, inflammations, scirrhi, apo=  
stemata, cruda tubera, quæ Græci phymata uocat,  
præterea arida duricies. Sicut enim chordæ seu  
fides, dum exarescunt, trahuntur : sic & arteriæ.  
Frigus etiam immodicum, instar gelu contrahit:  
conuulsio etiam siue spasmus, calida quoq; & sicca  
intempories.

Aequalitas semper habet ordinem adiunctum  
sibi comitem: inæqualitas uero, aliquando sibi ad=  
sciscit ataxiam, nonnunquam ordinem. Ordo igi= z  
tur in qualibet inæqualitate à fixa, stabilita et fir= ma  
ma causa inæqualitatis fit, quæcunq; illa sit ex nu= mero  
mero earum quas hucusq; recensuimus. Ataxia ue= ro  
rò fluxilem, mutabilem, & infirmam comitatur.  
Quid uero ordo & ataxia significet, in quinto li= bro  
bro explicabitur.

VNDOSORVM, VERMICVLAN= z  
tium, & formicantium cauæ.

Cap. 16.

In ter æquales compositos primum locum dedi= z  
mus libro primo, undoſo, uermiculanti, & for= mantic  
micanti pulsui. Quare & hic causas eorum in pri= mis  
mis referamus. habent hoc præter cetera hi pul= sus  
sus, quod inæquales sunt in una distensione, sed  
in pluribus partibus arteriæ ( licet id in formi= z  
cante

cante ob summam paruitatem sensui non apparet  
at ) alias prius, alias posterius adtollendo. Causa  
ergo eorum eadem sunt cum ijs, quas capite trede-  
cimo recensuimus. Nā uel facultas imbecilla, uel co-  
pia humorū, uel extrema instrumentorū mollices  
eos procreat, uel hæc omnia, uel aliqua ex ijs: quod  
nos ibidē dilucidauimus. tuq; illuc recurre, si lubet.

Quia uero undosus maior est, et celerior, quam  
uermiculans, idcirco undosum à copia humorum  
enasci certum est: uermiculantem uero ab imbecilla  
facultate, quæ arteriam uno eodem q; tempore  
totam attollere nequit, sed adtollit partem post par-  
tem, eamq; exiguum, non sicut in undoso magnam.  
Dum autem undosus in uermiculantem degenerat,  
hoc euenit, quia facultas quæ prius erat grauata in  
undoso, nunc & grauata & dissoluta est in uermi-  
culante. Non semper tamen undosus degenerat in  
uermiculantem. sepe enim transmutatur in inter-  
mittentem etiam ( dum magis fatiscit uirtus ) & in  
uariam inæqualitatem anonymam: fit etiam uermi-  
culans sepe, licet eum undosus non præcedat. Dum  
uerò uermiculans commutatur in formicantem,  
tanto magis dissolutam facultatem esse puta, quan-  
to formicans est minor uermiculante, & tardior.  
Quamuis enim & uermiculans tardus sit, nihil o-  
minus habet partes diuersas, quæ tactui obscuræ nō  
sunt, et percipiuntur ueluti uermis, distesus, repens.

For-

Formicans uero, paruum quendam pulicem re-  
presentat.

In summa, formicantis eadem causa est, sed au-  
tor, quæ uermiculantis. Sunt uero inter uermi-  
culantes alij magis tardi, alij minus: & ij minimè  
præui sunt. Non est autem necesse, ut formicans sens  
per generetur ex uermiculante, sicut multi opinan-  
tur, præter cæteros & Auerroes, qui libro Colle-  
ctaneorum suorum quarto: Non fit, inquit, formi-  
cans, nisi uermiculosus præcedat. Sed uide ut se  
prodiderit hoc dicto, quam bene exercuerit artem  
Sphygmiam. Experimur siquidem in acutis &  
malignis febribus, formicantes nasci sæpiissime non  
præuentibus uermiculatibus. Ac ediuersò, in cho-  
leris, in aliis fluoribus, in magnis euacuationibus,  
superfluis menstruis, uermiculantes transmutari in  
intermittentes & deficientes, non in formicantes.  
Immò in febribus acutis & malignis contraratio-  
nem est, uermiculantem pulsum querere, qui o-  
mnino tardus est, & aliquibus suis partibus crea-  
ber, aliquibus rarus: raritatem autem non admit-  
tit usus auctus, id est, calor immodicus febrilis, &  
spirituum defectus. Ac uerum est, quod libro pri-  
mo diximus, non esse necessarium ut formicantem  
semper uermiculans præcedat, aut uermi-  
culantem semper formicans  
sequatur.

Sphygmicæ artis  
CAPRIZANTIS CAV=  
ſæ. Cap. 17.

**C**aprizans est bis feriens pulsus, non tamen bis pulsans; licet enim bis pungat, non tamen est media ulla contractio inter primum et secundum ictum, ut sit in dicrotis, id est bis pulsantibus. Causa caprizantis est facultas ualida, impedita aut copia humorum, aut compressione vel obstructione arteriarum, ut continuum motum confere nequeat. Cogitur enim paulisper remorari ac consistere in ipso motu: sed recollectis viribus, dum conatur obstaculum suum superare ac ejcere, uehe mentiorem motum adhibet secundum, quam primum: quod saepius facit. Si uero alteru saltum adhibeat debiliorem, erit hic pulsus deterior caprizante, de numero intermittentium singularium, quorum causas iam antea recensuimus. Comitatur etiam caprizans pulsus nonnunquam inaequalem cordis intemperiem, que distensionem impedit, de qua iam satis dictum est.

SERRANTIS PVLSVS  
causæ. Cap. 18.

**S**errantis pulsus causæ sunt, facultas onerata, instrumentum durum, usus auctus. Si enim facultas grauata non esset, nec ipsa inaequalitas singularis, que reperitur in serrante pulsu, adesset. Instrumentum uero durum est in eo, non ex siccitate

late arteriæ, sed ex tensione. tendi enim oportet arterias in hoc pulsu, propter phlegmonem seu inflammationem, quæ partes neruosas obſidet: partes uero neruose magnam habent communionem cum arterijs, ob uillos seu fibras, quæ ad arterias ex neruis enascuntur. Quia uero aliæ partes arteriarum magis sunt appositæ inflammationi secundum rectitudinem, aliæ minus: idcirco aliæ plus tenduntur, aliæ minus. Uſus uero auctus, id est calor augmentatus, cogit arteriam multum ad tollit: quod, quia ob duriciem fieri nequit (ægrè enim diu ra distenduntur corpora) partim etiam ob affeſtationem facultatem: proinde aliquæ partes ad tollentur plus, aliquæ minus. Et quoniam eodem tempore tenduntur uniuersæ, prodit illa imago serrati tactus, cui accedit nonnunquam & uibratio.

CONVULSIVI ET VIBRAE  
ti cauſæ. Cap. 19.

**C**onvulsu pulſus cauſa eſt, neruorum ſpasmus. Nam dum nerui contrahuntur, contractabuntur & arteriæ. Magna enim eſt, ut ante diximus, neruorum ex arteriarum ſocietas, non ſolum quodd fibras arteriæ accipient à neruis, ſed etiam quodd ſinguli ramuli arteriarum ex neruorum inuicem ſint coniuncti. ferè enim cuilibet arteriæ, infra uel ſupra, uel ad latus, neruus adhæret.

Facile igitur affectionem suam nerui impertinent arterijs: quod uidere est initio accessionum epilepsie. tum enim pulsus conuulsu non obscure sentiuntur, quia spasmus totius corporis imminet.

Vibratum autem tres causæ simul efficiunt: facultas ualida, instrumentum durum, necessitas inagens, id est usus auctus. Memineris autem, nos saepius dixisse, auctum usum esse caloris augmentum, uel animalis spiritus exhaustionem. Qum enim alterum horum ad sit, uel utrumq; maxima distensione opus est: dum uero nihil aliud repugnat, quo minus magna fiat distension, preter duriciem arteriæ (nam ualidam facultatem ab initio esse presupposuimus, quæ pro necessitate, distensionem maximam facere nititur) necesse est ut flectatur in altum, et ueluti frangatur arteriadura: ac quia in parte frangitur, eatenus acuminatur. Iam uero acumen aliud ad tollitur, aliud demittitur: quia facultas potens, urgente necessitate, loco maximæ et aequalis distensionis, quam in molli arteria facile præstaret, nunc hanc nunc illam partem arteriæ duræ in acumen flexæ, sursum eiaculatur. Hec uero experimur in magnis inflammationibus, quas phlegmonas uocant: in tenacissimis obstructionibus, spasmis, scirrhis. Hi enim affectus, quia non sinunt per instrumentorum contumaciam impieri naturæ functiones, per accidens usum au-

gent,

gent: quod calidates nimiae & febres per se per-  
petrant.

PALPITANTIS ET TREMEN-  
tis causæ. Cap. 20.

**T**remor & palpitatio sunt multum à se diffe-  
rentes motus. Palpitatio enim, siue leuiga-  
tio, motus est totus præter naturā, à flatu in mem-  
bro occluso, qui exitum querit, & agitat secū con-  
tinētia membra tam diu, donec uel resoluatur, uel  
uiolenter explosus in cognatum sibi aerem expi-  
ret. Accidit uero subinde cuti & subiectis ipsi mu-  
sculis, prætere a uentriculo, uesticæ, utero, intesti-  
nis, iocinori, lieni, septo transuerso: atq; ut summa-  
tim dicam, omnibus quæ distingui possunt, utpote  
arterijs, & ipsi cordi, & toti nonnunquam corpo-  
ri. Palpitationis autem momentanea celeritas, ex  
dum exoritur & dum soluitur, indicat aeream esse  
substantiam (id est, uaporem crassiorem, ac mul-  
tum) quæ arterias & cor à seipsis distinguat. nā  
& d'erepente fit, & subito conquiescit: quod nulli  
humori competere potest. Fit autē palpitatio cor-  
dis saepe nihil mutatis arteriarum pulsibus. ac è di-  
uerso, palpitan sepe arteriæ, corde neutiquā pal-  
pitante: nimirum in quibus partibus uapores oc-  
cluduntur, illas inflant & adtollunt, nec est necesse  
communicari malum uicinis. Causa igitur palpita-  
tis pulsus, est repletio instrumenti flatuosa.

n s Trem

Tremor uero motus est cōpositus ex naturali,  
et altero præter naturam. naturalis est à facultate  
innata. præter naturam est à grauitate mēbri, quæ  
uergit semper deorsum: licetq; uidere pugnam in-  
ter utraq;. Facultas enim conatur membrum erige  
re, grauitas uero resistit. Graue autem membrum  
redditur, quia infirmæ facultati onerosum est. Si-  
cut enim senes, et ij qui conualescunt ex morbis,  
facili ex causa tremore afficiuntur, quia ob imbecil-  
itas uires sub proprio corpore quasi sub onere gra-  
uantur: ita cor et arteriæ debiles, tremore facile  
corripiuntur ob quemuis morbum, qui nimiū ui-  
ribus incōmodat. Hoc uero cuius medico, etiā cir-  
ca ægrotos non diu uersato, constare arbitror, fieri  
aliquando tremorem in musculis cubitum mouen-  
bus, interim dū pulsum adtrectamus ægrotorū, qui  
periculose ægrotant. Quod si ante ægritudinem  
nihil tale adfuerat, citò mortem obeunt, licet in pul-  
su eorum nullus interea sit motus tremulus. At per  
abusum, quia loca uicina tremunt, si tremulū quis  
uocet pulsum, non repugnabimus.

Iam ex ijs quæ diximus palam est, quam turpi-  
ter errent, qui palpitationem cordis et tremorem  
pro uno et eodem affectu accipiunt: terroris autem  
occasione sumpserunt à Galeno, qui aliquot locis  
mænū nāt̄ p̄mōn̄, id est, palpitationem et tre-  
morem, nomen alterum pro altero usurpat, nō si-

ne nocuo tyronum medicorū offendiculo. Quām longē autem differat palpitatio cordis à tremore, ex utriusq; definitione seu descriptione perspicuū esse potest. Ad hæc palpitatio, motus est momentaneus, tremor uero diutius affligēs, qui ex diuersis simus causis, quæcūq; facultatem labefactare possunt, exoriri consuevit, & pro causarum diuersitate uarie curatur: palpitationis autem, una tantummodo causa reperitur, & una semper curatio, flatus scilicet discussio.

Causa igitur tremētis pulsus est, facultatis imbecillitas. Quod uero Galenus præter hāc addit molliciem instrumenti, ad palpitantem, non ad tremorem spectat pulsū. Dura enim corpora propterea non palpitant, quoniam difficilis est eorum à se inuicem separatio per flatum: quamobrem ossa & cartilagines palpitantes nunquam sunt uise. Gracilis porrò habitus corporis, cōcausa est tremētium pulsuum, qui necessariō languidi sunt, & parui, proptereaq; in crassis percipi nequeunt.

Trementे corde pulsus arteriarum inæquales fiunt magnitudine, celeritate, crebritate, uehemētia. Trementibus autem arterijs, quod rarò euenit, cordis motum immutari necesse non est, nisi malum penitus introeat, & ingrauescat: sed admota ad thoracem manu, non est difficile, tremat' ne cor an non, deprehendere.

Quod

Quod si quis pulsatilem motum cordis, compo-  
stum cum alio motu præter naturam, qui fit à gra-  
uitate membra ob imbecillitatem, noluerit tremo-  
rem appellare, sed aliud quiddam simile tremori,  
eo quod dixerit Galenus (in libello de Palpitati-  
one, tremore, & rigore, & conuulsione) tremore  
sine motu uoluntario fieri nunquam: nos no admo-  
dum refragabimur. de uocabulis enim contendere  
nostrum institutum non est, dummodo quæ sit rei  
essentia, nobis constet.

## HECTICI ET STREPEN-

tis cause. Cap. 21.

**H**ecticus pulsus inter inæquales compositos  
propterea est recensitus, quoniam sepe fit  
inæqualis: quamuis & æqualis reperiatur. Sit e-  
niam quiscung, & qualiscung, dummodo semper  
sui sit similis in morbo, hecticus dicetur. Causa eius  
est affectus non in spiritibus aut humoribus, sed in  
solidis partibus fixus: qualis est marasmus, seu ta-  
bes, phthisis, sive ulcus pulmoris, empyema seu sup-  
puratio, & febris quam hecticam uocant, de qui-  
bus infra dicetur.

Strepensis autem pulsus, quem nos saepius in æ-  
grotis deprehendimus, causa est duricies arterie,  
uacuitas eius, & facultas ualida: concausa uero spu-  
tum, in quo mouetur arteria, aere non humore re-  
fertum. Quemadmodum enim fides, si molles sunt,

¶

**E**quidē, non sonant ad citharam: sic & arteriæ molles. Sunt uero arteriæ repletæ spiritibus, aerē & sanguine tenuissimo: sed alijs plus, alijs minus. Quod si parum sanguinis habeant in se, amplum erit spacium spiritibus, & aeri interno. Facultas autem ualida iustum faciens uehementem, aut saltem non languidum, quatiens aerem & spiritum, excitat strepitum. Quemadmodum enim, si digitis tympnum leuiter adtingas, nullum sonū edes: at si paulo uehementius admoucas digitos, sonum prodes auditui, dummodo membrana tympani humida non sit. sic arteria dura siue ob siccitatem, siue ob tensionem, inops multi sanguinis, iustum non debilem præstans, strepitum profert: debilem uero, minimè.

Sphygmicæ artis libri tertij finis.

**S P H Y G M I C A E**  
**A R T I S L I B E R Q V A R T V S, I O-**  
**'sepho Struthio Posnani-**  
**e n s e a u t h o r e.**

Diuersi sexus quales sint pulsus. Cap. 1.



Xplicauimus libro tertio, qua potui  
 mus fide & diligentia, causas omni-  
 um pulsuum synecticas, seu continē-  
 tes, uel si mauis dicere primarias,  
 earumq;

## Sphygmice artis

earumq; diuersas connexiones, præterea & consensus causarū (quas Græci συνοίται uocant) restat ut declaremus causas secundarias, quæ nam sint, et quo modo pulsus immutet: id quod breuiter facturi sumus, quoniam Galenus hac in parte prolixior est, sed nō facilior. Nos obstrusis tātū lucē adferre conabimur, in gratiā studiosorū, qui obscuritate Galeni deterriti sunt hucusq; ab arte Sphygmica: qui poterint, si uelint, nostra hac lucubratio ne uti loco Scholiorū in libros Galeni. Primus uatem ordo causarum secundariarū, sunt res quæ naturales à medicis uocantur: de quarum numero est sexus, à quo sumemus exordiū. Est aut de eo uetus Græcorū regula, seu canon iste: aut si mavis dicere aphorismus: Viri mulieribus habent utplurimum pulsus multo maiores, & multo uehementiores, paulo autem tardiores & rariores.

Quatuor sunt rationes, cur uiri maiores & uehementiores pulsus habeant, quam fœminæ. Prima est temperamentū: uir enim calidior est & siccior, quam fœmina: quare in uiro auctus est usus pulsuum, in fœmina diminutus. aucti uero usus pulsus familiaris est magnus, diminuti parvus. Secunda q[uod] uir robustior est, quam fœmina. Facultatis uero robustæ docuimus propriū esse pulsum uehementem, familiarem magnū. Qui uero in tertio libro parvus diligenter est uersatus, haec nō intelliget. Tertia, quia

quia uiris ampla sunt spacia, in quib. distenduntur arteriae: in mulierib. angusta, propter adipē & humores pituitos, qui ea occupant. Diximus autē antea, spacium seu locum amplum, concausam esse magnorum pulsuum: strictum uero, paruorum. Quarta, quia uiri laborib. & exercitiis augent robur uitale, & recalefaciunt corpora. Atq; hæc potissima causa est, ut uiris non solū sint maiores pulsus et uehemētiores, sed etiā multo maiores et multo uehemētiores. Si enim effœminatus sit uir, in ocio et deliciis uiuens, nō habebit pulsus multo maiores. Tanti scilicet est momenti ad augendū calorem & uitale robur, opportuna exercitatio. Quod uerò additur in Aphorismo particula hæc, Ut plurimum: ita accipias, quoniam ut plurimū uiri robustiores sunt & calidiores quam fœminæ, rarissimè contingit fœminā uiro esse calidiorē. Quod si reperias fœminā gracilem, nigrā, hirsutam, marē uerò adiposum, albū, glabrum: fœmina profectò talis erit calidior & biliosa, mas uerò frigidior & phlegmaticus. Quare fœmina hæc meritò habebit pulsus maiores & uehementiores: ac tanto plus, si laboriosa fuerit, mas autem desflosus. Sed hæc raro accidunt.

Quod uerò additur in Aphorismo, Paulo tardiores & rariores, sic censeto. In pulsu uirorum satisfit necessitatì per magnitudinē, quare celeritate



et crebritate non indigent. Fœminæ quoq; tardi  
ores et rariores pulsus haberent, propter frigida-  
tem: nisi hoc obstaret, quod multo minorem retinet  
pulsus magnitudinem. Quare quod deest usui pro-  
pter paruitatem distensionis tam insignem, celeri-  
tas et crebritas compensat. iuxta illud dictum Grae-  
corū, ὅτου ἀνέλαβε τὸ ζεύς τῷ μεγέθει τοῦ σφυρ-  
ίδος, τότο ἐν τοῖς πνευμόντος ἀναπληρώμενοι γίνε-  
ται. Id est, Quod deest necessitati, ob diminutionē  
magnitudinis pulsus, hoc suppletur crebritate.

TEMPERAMENTA CALIDA  
quos faciant pulsus. Cap. 2.

„ **C**' Alidi natura, habent multo maiorem, cele-

„ **C**' riorem, crebriorem, nō aut uehementiore.

Hic est aphorismus de temperaturis calidis, qua-  
rum pulsū cognito, facile est coniscere, qualis fri-  
gidarum sit. contrariorum enim eadem est sciētia.  
Si autem meministi eorum quae libro tertio tibi fa-  
deliter tradidimus, facile intelliges, non cuiuslibet  
corporis natura calidi necessariō debere fieri mul-  
to maiores, celeriores, crebriores pulsus. Que ea-  
nim corpora caliditate modice deflectunt ab eucra-  
to seu temperato, habent maiores pulsus: que lon-  
gius discedunt à temperato, maiores et celeriores:  
que uero longissime, habebunt multo maiores, ce-  
leriores et crebriores. iuxta regulam illam: Dum  
usus augetur, nascitur magnitudo: si hæc non suffi-

cit,

cit, accedit & celeritas. Quod si neq; hæc duo sa-  
tis faciunt, necessitat superuenit & crebitas.

Quod uero in fine Aphorismi dicitur, Non au-  
tem uehementiorem:ratio est, quia ad facultatem  
robustum pertinet, uehementiorem pulsum facere.  
Docuimus enim antea, nulli cause ex synecticis fa-  
miliarem esse uehementem pulsum, sed proprium  
& inseparabilem facultati robustæ. Robusta au-  
tem facultas quæ sit, & quo modo sit, nosti ex duo-  
decimo libri tertij capite. Quid est igitur, quod  
Galenus proferens hunc aphorismum, concedit  
calidis naturis uehementiorem pulsum, sed non  
multo uehementiorem? Ego equidem animaduer-  
to, Galenum tergiuersari hoc in loco, & se excusa-  
re, quod tyronibus hoc protulerit, qui magnum  
& celerem pulsum pro uehementi accipiunt: ac  
seruendum esse nonnunquam captui eorum, qui  
in artibus sunt imperfecti, censet Galenus. Sed  
hæc mihi frigida certe excusatio esse uidetur. Nun-  
quam enim tyrones imbuendi sunt falsis dogmati-  
bus, licet faciliora sint: eo quod ægrius dediscimus  
prauas doctrinas, quas initio imbibimus, quam  
addiscimus bonas. Quod autem falsum sit, magnū  
& celerem pulsum necessariò esse uehementem, di-  
dicisti libro secundo.

TEM PERAMENTA SICCA

quos faciant pulsus. Cap. 3.

o Grae

„ **G**raciliores maiore habent, rarioremq; mul  
to, uehementiorem paulo, durum.

Quia siccitati familiaris est gracilitas & duri-  
ties, ut docuit Galenus libro secundo de Tempera-  
mentis: proinde siccis nomine gracilium proserūt  
antiqui, sicut humidos nomine crassorum.

Est uera gracilitas alia naturalis, alia asciticia  
que fit ratione diætae, alia ex morbo. Hic porrò no-  
bis de naturali et ascititia sermo est. Nibil enim re-  
fert, natura ne an ex consuetudine, quis talis eu-  
dat, quum consuetudo sit altera natura.

Solius igitur gracilitatis ratione pulsus fiunt  
multo maiores, partim propter spacia in quib. ar-  
teriae mouentur, multo ampliora & mudiiora: par-  
tim, quia quod superne tegat arteriam, præter cu-  
tim est nihil. In crassis enim adeps & caro,  
& humores multi qui celant & occultant arteri-  
as. Eadem ratione & paulo uehementiores sunt  
gracilibus pulsus, non quod ipsi sint propterea  
robustiores, quia sunt graciliores: sed quia arte-  
ria plus euertit tactū, quæ sola cute tegitur, quam  
illa cui caro adeps & humores sunt obstaculo, ut  
ne prope tactum feriant, ac in eum subintrent. Ve-  
re igitur dixit Galenus, quod graciliū pulsus plus  
ostendit uehementie, quam habet. Neque enim  
ex gracilitate quicquam roboris adcrescit: sed gra-  
cilitas permittit pulpas digitorum medici proxi-  
me

mē adesse ad arteriam: & idcirco altius euertuntur, quod non permittit crassities. Quemadmodum nudum corpus magis & penitus afficitur uerberibus, dum cæditur, quam quod tegitur diplode.

Quod uero additur in Aphorismo, multo rariores: ratio est, quoniā ubi magnitudo sola satisfacit necessitatī, crebritate opus nō est, nec celeritate. Imo si multo sunt maiores pulsū, usus uero nihilo auctiōr, tāto erit rario pulsus, quāto est maiore crescente enim magnitudine, crescit & raritas, si usus non augetur. Hoc uero probē intelligit, qui in coniugationibus causarum synecticarum, de quib. tertio libro egimus, est bene exercitatus.

Cæterū in ijs qui natura graciles sunt, est quoq; usus auctus. Docuit enim nos Hipocrates, ta lib. corporibus uenas & arterias esse amplas, ossa præterea magna. Sicut ē diuerso in crassis natura, uenas & arterias exiles, & ossa parua. Licet autē ratiōe colligere, ex amplitudine uasorum, calorē naturalem esse multum: cuius opus est, extendere & dilatare corpora. Quare graciles natura, non ea saltē de causa, quam priore loco diximus, habebūt pulsus multo maiores, sed etiā ex aucto usu quē obtinet: nō quia sunt graciliores, sed quia calidiores. quod prætermisit dixisse Galenus. Quod si corpus

temperamenti sit calidi simul & sicci, ob utramque hanc causam, habebit pulsus multo maiores. Si uero sicci duntaxat sit temperamenti, in qualitatibus uero quas actius uocant, fuerit uel moderatum uel frigidum, unica hanc habebit magnitudinis pulsuum causam, nuditatem scilicet arteriæ cibspacijs amplitudine.

In fine uero aphorismi dicitur, Durū, quod demonstratione non indiget. Duricies enim qualitas secunda, sequitur siccitatem, ut docet Aristoteles, & nos alias ostendimus: sicut mollicies humiditatem. Excipe ergo ab hoc Aphorismo graciles ex morbo, in quibus facultas, usus & instrumentū alio modo concurrunt, & quælibet harum causarum pro se pulsū in eis immutat.

## AETATES QVOS FACIANT

pulsus. Cap. 4.

- » **P**erorum, magnus, celerrimus, creberimus,
- » medius:
- » Iuuenum, maximus, uehementissimus:
- » Senum, minimus, tardissimus, rarißimus, debiliſſimus,
- » cum rhythmī inæqualitate.

Quia pulsuum secundum ætates immutationes, perplexè & intricate describit Galenus, ex Latinis uero eius codicibus nec quicquam certi colligi potest: proinde coacti sumus nos alia serie pulsus ætatu distinguere. Nec dubito, quin scripta nostra quili-

quilibet facile memoria sit retenturus et intellectus: dummodo corū quæ liberis priorib. docuimus, nō sit oblitus. Puerorū pulsū diximus magnū esse, quia usus in ipsis auctus est. Pueri enim plurimū habēt calidi innati, ut ait Hippocrates. Indigent quoq; copiosa aeris substātia, quæ distēstione adtrahitur, nō solū ad nutriēdos, sed augēdos etiā animales spiritus. Molles quoq; sunt corū arteriæ, sicq; facile cedūt distēstioni. Essent uero in pueris nō solū magni, sed etiā maximi pulsū: at obstat circūdatio arteriarum, per abūdantia succorū. Obstat et hoc, quod uirtus corū nō dū peruenit ad summū robur.

Nec te decipiāt, quod puerorum arteriæ sunt paruae. Aliud est enim dicere, magnam esse arteriam, & magnam esse arteriæ distensionem. Si enim parua uesica multum extendatur, ita ut nulla sit ruga in eius tunicis, nec laxitas, ut sit dum adolescenti in ludis eam inflant, maximus uero uter aut saccus parum distendatur, ita ut rugæ supersint, & laxitas: paruam distensionem maximus saccus, magnam uero parua uesica habere dicetur. Sed de ijs libro secundo latius differuiimus. Magna igitur distensio, comparata paruæ arteriæ, meritò dicitur magna. At si eam distensionem in pueris, compares distensioni quæ est in iuuenibus, parua esse dicetur. Magnum enim maiori comparatū, eius respectu solet dici paruum. Celerrimus uero

est, et creberrimus puerorū pulsus, nimirū q[uod]a p[ar]e-  
ui uasis magna distensio, non satis facit usui: imò lō-  
ge minus suppeditat quām necessitas expostulat.  
accitur ergo celeritas & crebritas in adminiculū,  
ut loco maximæ distensionis, quæ est q[ua]d necessaria,  
sed perfici nequit, sit summa celeritas et crebritas.

Medius uero est eorū pulsus inter iuuenes &  
senes, in quarto genere pulsuum. Quia enim pue-  
rorum uires non sunt tante, quantæ in adultis: nec  
tam debiles, ut in senibus, proinde medium modū  
retinere censemur.

Iuueniū uero pulsus maximi sunt, quia usus plus  
adhuc quām in pueris auctus est. Sunt enim calidi  
innato calore, calidissimi uero acquisiticio, q[uod] mor-  
dax est, & quasi igneus. Facultas præterea est robu-  
stissima, que uebementissimos gignit, & adiutrix  
est ad magnitudinis incrementū. Quod aut iue-  
num pulsum ex duobus tantū generib[us] compostū  
protulimus, obmisimus aut dicere qualis sit in secundo  
et tertio genere: ratio est, quoniam in secundo  
et tertio genere, pulsus iuueniū non desciscit à mo-  
derato. Quando porro et alias in cōpositis pulsi-  
bus, aliquid ex quinq[ue] generibus omittitur, illud à  
naturali uel mediocri nibil immutatum esse tū intel-  
ligas. Ratio autem eius mediocritatis in iuuenibus  
est, quoniam per summam magnitudinem satisfit  
usui, nec opus est petere auxiliū ab alijs pulsuum  
differen-

diffrentijs. Senū uero pulsus cōtrarias habet causas, ijs quæ pueris cōpetūt. Sunt enim frigidissimi, propterea quod minimos pulsus edūt, tardos et rāros, immò tardissimos et rariſsimos, respectu alias rū etatū. Quia uero labascit tēperamentū eorum, quare debiles sunt facultates, meritò etiam debiles sunt pulsus: immò inter cæteras etates debiliſsimi. Quod uero additur in fine Aphorismi, cum rhythmi in æqualitate: hoc ita accipias, quod cōtractio in ipsis tardior est, quam distensio. Parū siquidē aut nibil ex adustis humorib. prouēit excrementi, propterā quod sit imbecillus eorū calor, & quod parum nutriantur. Quia uero usus distensionis, et se non magnus, mediocris tamen remanet in ipsis. eget enim calor eorum innatus, sufflatione, seu uenitaliōe. eget etiam nutricatione animalis spiritus: quare celerior est meritò illis distensio, quam contractio. In omnibus aut̄ alijs etatibus ante senectā ultimam, usus contractionis æquatur usui distensionis: idcirco rhythmi prodeunt æquales, id est et quæ celeris contractio, sicut & distensio.

Cognito uero pulsu harum etatum trium, de quibus hucusq; sermo erat, facile est colligere, quales sunt reliquarum etatū pulsus: seruant enim hāc proportionem, ut quanto sint aliquæ etates pueris uel senibus propiores, tanto proprius quoq; accedant ad senum uel puerorum pulsum.

,, **V** Ere medio sunt in omnibus generibus mo-  
derati.

,, Aestate, parui, celeres, crebri, languidi.

,, Hyeme, parui, tardi, rari, languidi.

,, Autumno, diuersti & languidi.

Absoluimus res naturales, quæ pulsus immu-  
tat: sexum scilicet, temperamenta, ætates. Dicturi  
sumus iam de reb. nō naturalib. inter quas primum  
locū damus aeri, quoniā hicefficacissimus est in al-  
terandis corporibus.

Vere igitur medio, quia aer est tēperatissimus,  
pterrea saluberrima sunt corpora: et quia saluber-  
rima facultatē pulsuum effēcīrēc habet robustissi-  
mā, instrumēta mūda, calorē tēperatū: pulsus igi-  
tur uehemētes erūt. Docuimus aut̄ libro secundo,  
quòd in quarto genere, pulsus moderati seu medijs  
illi sunt, q uehemētes appellātur. hoc eodē tempore  
pulsus aliorū generū sunt moderati. neq; enim ma-  
gnitudo modū excedit, nec celeritas, nec crebitas.  
Arteriæ quoque nec multum sunt humide, neque  
supra modum squalidæ.

Quid est igitur, quòd Gaienus, et ante eū prisci  
scriptores, medio ueri adscribant pulsus maximos  
& uehementissimos? Quoniā licet moderati sunt  
magnitudine et uehemētia, nulla tamē pars anni tā-  
tos,

tos, & tā uehemente: habet. Quare si eos cōparēs ad alia anni tempora omnium maximi sunt, & uehementissimi. quibus amen reperiuntur maiores et uehementiores, in aliis statibus corporis: hic uero pro anni tantum temporibus eos depingimus.

Non omnium autem mortalium, medio uere, & que pulsus sunt maximi, sed cuiusq; pro sua natura. Nuge enim fuerint mere, si censes illi qui biliosa calida & adustanatura est, aut pituitosa atq; frigida, maximos melius uere pulsus esse. In disputationibus, uerbis hoc quidem defendere posse, sed experientia longe alter commonstrat. Quippe calidiores & sicciores temperamento, uidebis non expectare medium uer, sed habere multo ante suos maximos pulsus: bunidiores uero temperamento et frigidiores longe ultra medium uer, in eunte iam aestate. Soli uero, qui optimam sunt natīi constitutionem corporis, melius uere comperiuntur maximos suos pulsus obtinere.

Aestate uero & hyeme, quia facultas est debilior ob aeris intemperiem, languidi fiunt & parui pulsus. Et quia aestati usus est auctus, hyeme uero diminutus: proinde illi quod deest propter defecum magnitudinis, cleritate & crebritate compensatur: huic uero tarditas & raritas adsunt, familiarissimae diminui usus sociæ.

Autumnus inconsans, & naturæ nostræ imimi

cus, labefactat facultatem : languidiq; ideo fiunt pulsus. secundum uero tria prima genera, fiunt diuersi. Sunt autem diuersi pulsus, qui per temporis interualla sibi inuicem succedunt. Differe porro inæqualitas, quam Græci  $\chi\nu\omega\alpha\lambda\iota\alpha\nu$  uocant, à diuersitate, quam  $\epsilon\tau\rho\phi\psi\chi\alpha\nu$  appellant. Diuersitas enim pulsuum tum esse dicitur, dum certum aliquod tempus perseverant pulsus: uerbi gratia, parui, celeres, creibri. quibus postea succedunt gradatim & minutatim magni, tardi, rari : qui licet sint alij et impares, quod ratio dictat, sunt tamen utriq; in suo ordine tactui æquales, ut antea ostendimus. Nec mirum, autumno diuersos reperiri pulsus, quum & ipse sit diuersus, ac uno eodemq; die nunc calore superbiens, nunc frigore contempsus : quo pacto iam usum auget, iam diminuit. Galenus medio autumno adscribit pulsus ueris medij : quoniam putauit autumnum medium ita esse temperatæ mixturæ calidi saltem et frigidi, sicut uer medium: quod quia rationi & experientiæ est contrarium, ut docuit Auerrois, merito est repudandum, licet à tanto autore sit profectum.

Illud uero obseruabis diligenter, ut anni partes non metiariis mensura astrologorum, qui quaerunt anni tempora faciunt æque longa. singulis enim tria signa zodiaci circuli, quæ sol est peragrasurus, adtribuunt. Medicus uero artifex est sensu innitens,

innitens: hæc tempora sensu discernit, non signis  
cœlestibus. Ver uocat, quando est aer temperatus:  
æstatem, dum präpollet caliditas & siccitas, ordi-  
ne à natura instituto: autumnum, dum frigiditas  
et siccitas: hyemem, dū frigiditas et humiditas. Ordi-  
nauit autem natura has temporum partitiones pro-  
diuersis parallelis, diuerso modo. In Thaso, ubi dege-  
bat Hippocrates, incipit uer ab æquinoctio, quod  
hyemē sequtur: durat usq; ad ortum Vergiliarū seu  
Pleiadū, id est, ad diem septimā Maij. Aestas inde in-  
cipiēs, perseverat usq; ad ortū Arcturi, qui incidit  
sub diem decimāquintam Septembri. duratio eius  
quatuor est mensium, & dierum decem. Autum-  
nus ab oriente Arcturo inchoans, desinit Vergilijs  
occidētibus, emenso duorum ferè mensium spacio.  
Hyems ab occasu Vergiliarum exorsa, id est, à Ca-  
lēdis Nouembri, quatuor menses & decem dies, ut  
æstas, trāfigit. Apud nos autem in Polonia, uer lon-  
gè post æquinoctium apparct, & uix sesquimen-  
sem nos recreat. Aestas non integros quatuor men-  
ses sibi uendicat. Autumnus uires suas exerit longè  
ante ortum Arcturi: mox post occasum Sagittæ,  
quinquaginta ultra, uel citra, dierum spacio nobis  
scū ludens. Hyemi uix non quinq; menses apud nos  
debentur. Fiant etiā in anni temporib. s̄p̄ius ma-  
gnæ mutatiōes, ut docuit Hippocrates. Nā et æstas  
fit nonnunq; ueri similis: et uer nōnunq; talem gerit  
frigi-

Sphygmicæ artis  
frigiditatem, qualem tempus hybernum: aliquando  
talem, qualem tempus æstiuum, caliditatem. Si quan-  
do igitur frigidum fuerit, hybernos pulsus exhibe-  
bit: quando uero calidum, æstiuis similes erunt. Sic  
et de alijs temporibus, dum natuua sua tempera-  
menta exuerint, iudicabis.

Pro regionibus perinde ut pro temporibus, iu-  
xta ueterum canonem: In uehementer calidis sicut  
media æstate, in magnopere frigidis ut media hy-  
eme, in temperatis ut medio uere: idem esto et de a-  
lijs aeris nos ambientis constitutionibus iudicium.  
calidæ enim calidis, frigidæ frigidis, temperatæ me-  
dio ueri respondent.

SOMNVS QVOS FACIAT  
pulsus. Cap. 6.

Omni dum incipiunt, minores, tardiores, ra-  
riores, debiliores faciunt pulsus: in processu  
confecto iam alimeto, maiores, tardiores, rariores,  
uehementiores.

Quod si plus quam satis est perseveret somnus,  
iterum in debilitatem et paruitatem recidunt, re-  
tinent autem tarditatem et raritatem. Aphori-  
smus est hic de pulsu somni, ueterum artis sphygmi-  
cæ scriptorum: quem Galenus in libello ad Tyro-  
nes, sicut et alios ab antiquis medicis mutuatos, de-  
scripsit, et libro de Causis pulsuum tertio inter-  
pretatus est. Sed ex Latinis Galeni codicibus nec  
aphor-

## Liber quartus.

205

aphorismum, nec eius interpretationem facile per cipies. Nos prouirili nostra ueram Galeni sententiam aperire conabimur. Tres sunt huius regulæ seu aphorismi partes. Prima docet, quales sint pulsus initio somni: sunt enim minores, tardiores, rariiores, debiliores. Quod si corum quæ secundo libro diximus, recte meministi, pulsus qui gradu comparatiuo efferruntur, dices minus recedere à moderatis, uel naturalibus, quam illos qui positiuo efferruntur gradu: sicut dicimus frigidorem potum, non nunquam pro eo qui non satis est frigidus: sic minores, tardiores, rariores, debiliores pulsus, qui non supra modum pollent paruitate, tarditate, raritate, debilitate. Porrò initio somni calor naturalis relictis exterioribus membris, intrò fertur: ubi obruitur, grauaturq; materia ciborum, quos nititur transmutare in alimentum. Quia igitur reducitur calor ab exterioribus, & alteratur, & afficitur facultas, minores & debiliores sunt pulsus. Quod si dices, Non est facultatis uitalis officium, conquerere & transmutare nutrimenta, & affici ab illis: respondet Galenus, οὐανάχειρ αλλά τοις ἀνθρώποις τὰς θεοῖς τὸ πόσον δένεται. id est, Facultates quæ animal gubernant inuicem, compatiuntur omnes, estq; mutuus omnium inter se consensus. Secunda pars aphorismi est, quæ docet, qui pulsus sunt in uigore, seu processu somni. Sunt enim maiores

maiores & uehementiores , maximè confecto idem  
alimento. Sicut enim flamma immittit ac suffocari  
uidetur, dum ei subito aceruum lignorum ingeren-  
tis, postea dum ingesta ligna superauit , fit ingens  
& potens: sic calor innatus, quem cibi initio som-  
ni onerauerant, successu temporis confectis iam suc-  
cis, dum fruitur alimento, fit ualidior. quare ma-  
iores & uehementiores pulsus edet ; nimirum au-  
to usus, & confirmata facultate. Quod uero di-  
citur in Aphorismo, Tardiores et rariores: hoc se-  
cundum Galenum reuera non est . apparet tamen  
ita esse ijs , qui contractionem percipere nesciunt.  
Dormientium enim pulsus contractionem habet ma-  
iorem & celeriorem, distensionem uero minorem  
& tardiorum. Quare una ex parte dormientium  
pulsus est celer, contractione scilicet : altera uero  
parte tardior. Maior enim ingruit necessitas ejci-  
endorum fuliginosorum excrementorum: qui tum  
abundant, dum in uentriculo, hepate, uenis, arte-  
rijs, ac in toto habitu corporis coctiones uigent.  
Non adeò uero usus tum exposcit refrigerationem,  
ut cui aucta pulsus magnitudo satisfacere potest.  
At quod raritatem attinet, scito externam quietem  
in pulsu dormientium, similem esse quieti extera-  
næ uigilantium, nec quicquam in ea uariare, pro-  
indeq; rariorem dici non debere : ijs tamen rario-  
uidetur , qui contractionem non apprehendunt.  
quoniam tempus omne contractionis, que maior

est

## Liber quartus.

207

est quam distensio in dormientibus, adiungunt ad tempus quietis, & inde species raritatis falsa apparet. Addunt præterea ad eandem quietem, & tempus partis latentis distensionis, pusillam enim partem distensionis sentiunt: maior, quia non sunt exercitati, eos latet. Quamuis & periti huius artis non omnes partes distensionis et contractionis sentire possunt, quoniā eas non adtingunt. iuxta illud tertium libri secundi principium: Distensionis initium & finis contractionis non sentitur.

Tertia pars aphorismi ostendit quales sint pulsus in somnis non naturalibus, et insalubribus. Salubris somnus est, dum calor innatus ad interiora mouetur ob defatigationem et siccitatē, causa acquirendae ad limoniam: durat autē tādiū hic somnus, donec suci, quib. calor reficit se se et refocillat, cōficiātur. Sunt porrò duo motus peculiares caloris innati. alter est ei magis proprius et primarius, quū foras mouetur, ut præstō ad sit munijs animaliū. alter, dum intrō fertur, et in seipsum se colligit, causa nutrimēti: nutrimentū autē intelligo tale, quale est oleū in lucernā flāmā. Insalubris autē somnus est, qui modū per se acerādi nō seruat, gravis, profundus, in quo calor innatus intus diutissimē detinetur: nō nutrimēti causa, sed qā imminutus est et exhaustus, ut uix tuēdis uiscerib. sufficiat: uel qā præpeditus est humido plurimo, qđ ipsum remoratur, et foras exire nō sinit. His iusmodi

iusmodi somnum Græci coma uocant, Latini soporem. In insalubri igitur somno pulsus fiunt parui, tardi, rari, debiles: causa in promptu, quia facultas obfessa est, usus diminutus. Quod si increscat etiam atq; etiam paruitas, tarditas, raritas, debilitas, prope est ut totus intereat motus: atq; hoc mors est, quæ accidit sèpius comaticis, & ijs qui caro labo-  
rant. Est autem caros, uniuersarum motionum &  
sensuum priuatio, excepta spiratione. Arabes su-  
beth uocant. Differt à comate, quoniam comatici  
dum expurgiscuntur, aut excitantur, bene sunt com-  
potes sui. Caro autem laborantes, somni etiam pro-  
funditate occupantur: at si stimulantur, & si senti-  
unt, nihil tamen dicunt, neq; oculos aperiunt.

### EXPERGISCENTIVM QVALES sunt pulsus. Cap. 7.

” **Q**vi ex somno expurgiscuntur subito, pul-  
” sus habent magnos, celeres, crebros, uebe-  
” mentes, cum quadam vibratione, sed mox ad medio  
” critatem redeunt.

Expergefactio alia est uiolenta, alia spontanea.  
Violenta fit, dum uociferatione, terrifico insom-  
nio, ad tactum molesto, uel quopiam simili, cogitur  
homo euigilare. Hec quia subito irritat faculta-  
tem, et euocat calorem naturalem ab interioribus,  
ad propulsandum si quid mali accidit, inflamat  
corpus: propterea magni, celeres, crebri, uehemen-  
tes pul-

tes pulsus proferuntur. auctus enim est usus, & irritata facultas. Quia uero cumulatim calor cietur, vibratio suboritur, sed illico desinit. Docuimus enim, ob sumimum usus incrementum, euenire uibratos pulsus: et tanto magis, si arteria molles non fuerint. Verus est igitur aphorismus, in eo qui inuitus exergiscitur. Verus est etiam in eo, qui sponte est exergefactus: non sit tamen tantus magnitudinis, celeritatis, crebritatis & uehementiae excessus: non latet tamen in arte exercitatos, vibratio uero in hoc rarissime accidit. Exergefactio autem spontanea & naturalis fit, dum calor innatus, satiatus humore, quo per somnum altus & nutritus est in uisceribus, recuperata sua temperie ( redditus est enim ex sicciori humidior ) reuertitur motu suo proprio, ad iuuanda officia exteriorum membrorum. At quia dum conficiebantur alimenta, surrepsit multa fuliginosa seu fumosa humiditas in ipsummet calorem innatum, & in poros, & in partes que sunt usq; ad extimam cutem: ideo non ita expeditus & facilis est transitus calori naturali ad exteriora. Opus est igitur ut excutiat & expellat fumosos hospes vapores, poros expurget, totum deniq; corpus penetrabile sibi reddat. quare adhibet primos motus, magnos, celeres, crebros, & uehementes: quos dum conficit maiore impetu, recalescit corpus, & irritatur facultas. Cōmmotio

Sphygmicæ artis  
enim spirituum res est ad inflammandum efficacissi-  
ma. motus siquidem ignescere facit, ut ait Aristoteles. Quod uero Auicenna tradit, tremulos fieri  
experrectorum pulsus, & inæquales, falsum est:  
nisi timor cum ira in exergesfactione superueniat,  
de quibus postea dicemus.

EXERCITATIONIS PVL-  
sus. Cap. 8.

• **E**xercitia à principio, si moderata sunt, faciunt  
• pulsus magnos, celeres, crebros, uehementes.  
• Multa quæ uires excedunt, faciunt paruos, cele-  
• res, creberrimos, debiles.  
• Supra modum autem immoda, paruos ualde,  
• tardos, raros, debiles.  
• Si autem ad resolutionem facultatis peruen-  
• tum sit, fiunt illi qui proprij sunt uirtuti resolute.

Labores si moderati sunt, quoniam omnes co-  
natus facultas in eis exequitur, faciunt pulsus ue-  
hementes. excitata enim & stimulata facultas ue-  
hementiores motus edit, ut docuimus libro tertio.  
Augetur præterea usus partim ob incrementum  
caloris, partim quia exhauiuntur spiritus: idcir-  
co magni sunt, celeres & crebri. Immodi ci uero la-  
bores, & multi, quia resolutione facultatem uiria-  
bus expoliant, edunt languidos & paruos, &  
propter usus augmentum creberrimos: non tæ-  
men

men celerrimos; quoniam summa celeritas resolute facultati non competit. loco igitur celerrimorum creberrimi ueniunt. Labores uero summopere immodici, in quibus laborans desiderat sepe & diu requiescere, & iterum redire dum cogitur ad laborem, quem uix exequi ualet, faciunt pulsus ualde paruos & debiles, propter uirium imbecilitatem: tardos uero & raros, tum propter hanc, tum propter diminutionem caloris innati, quæ ex euacuatione nimia & spirituum exhalatione est subsecuta. Quod si ad summam facultatis dissolutionem sit peruentum, nascentur proprij resonantiae facultati, uermiculantes scilicet & deficienes. Perperam autem hoc loco interpres Galeni Latini, oppressam scribit esse facultatem. oppressa enim tum non est, sed resoluta.

Quum autem impura exercentur immodi-  
cè corpora, solent succi plurimi ad stomachos &  
uentriculos eorum præcipitati confluere, ac im-  
mutare pulsus, iuxta qualitatem diuersam, &  
symptomata, quæ tum accidunt. Sed de ijs me-  
lius dicetur, ubi de stomachorum pulsu uerba  
faciemus. Et qui plethoricus est, pulmone ac  
thorace affecto, simul ut coeperit uelociter exer-  
citari, labetur in dispneam, & secundum eam ua-  
riabuntur pulsus, quos tu putares fortassis ratio-  
ne exercitationis prouenisse: sed de ijs loquemur,

Sphygmice artis  
quando de orthopnoicorum pulsu, dicendi se nos-  
bis offeret occasio.

BALNEORVM CALIDO-  
rum pulsus. Cap. 9.

- ;; **B** Alnea calida moderata faciunt
- ;; Magnos, celeres, crebros, uehementes.
- ;; Immodica faciunt
- ;; Paruos, celeres, crebros, debiles.
- ;; Immodicissima
- ;; Minimos, tardos, creberrimos, debiles.

Qod quidem balnea moderata, magnos, cele-  
res, crebros faciant pulsus, admirationi non est, a-  
pud eos qui probè didicerunt, quos pulsus edat usus  
auctus. Sed cur uehementes faciant, disquisitione  
dignum est. Cæterum hoc satis intelligi non pote-  
rit, nisi quis reuocet sibi in animū, commoda & in-  
commoda quæ balnea præstant. Balnea alios cale-  
faciunt, alios infrigidant, alios humectant, alios ex-  
siccant, alios euacuant, alios replent. Calefaciunt  
quidem, aere & aqua calida. Infrigidant eodem ac-  
re, & eadem aqua, dum calorem resoluunt inna-  
tum, & substantiam spirituum exugunt. Humectant  
balnea lauacris, & aquæ irrigatione: exsiccant bal-  
nea ijsdem. si quis enim diutius ijs utatur, siccum  
reddunt corpus, quoniam caliditas aquæ per acci-  
dens siccatur. Replent balnea, quoniam alimentum  
trahunt ad membra exteriora, si quis post cibatio-

nem ad ea ingrediatur. Euacuant balnea ieiunos, dum sudores eliciunt. Sunt præter hec & alia comoda balnearum: nam abstergunt sordes, densata aperiunt, meatus recludunt & repurgant, tempe= riem inæqualem corrigunt, laſitudinem tollunt. His autem commodis si quis opportunè & medio= criter fruatur, acquirit temperamentum modera= tum, uires auget, & uehementes inde pulsus nan= ciscitur. Quod si quis abutatur balneis, uel impor= tuno ingressu, uel quia ultramodum illis se satiat, noxam pariet facultati, que debiles faciet pulsus, et paruos: at propter auctu usum celeres, & crebros. Quod si neq; tum abstineat abuti balneo, minimos, tardos, creberrimos, debiles, quoniam nimia euad= euatione & resolutione uirib. destituctur. unde & syncopæ accident, quas formicantes pulsus præce= dūt. Post exitum uero à balneo, quo quis immodice est abusus, quādo iā corpus refrixit, euadunt pulsus tales, quales docuimus libro tertio, fieri in coniuga= tione usus diminuti, & facultatis debilis. Quod ue= rò interpres Galeni Latinus hoc loco suadet ingre= di balneum, ijs qui nauseam sentiunt: hoc ne som= niauit quidem Galenus.

BALNEORVM FRIGIDO=  
rum pulsus. Cap. 10.

B Alnea frigida faciunt paruos, tardos, raros, ““  
debiliores: aut magnos moderatos, modera= ““  
tos uehementes,

Sifrigiditas aquæ, in qua sit lotio, intrò penetra uerit, & alterauerit uiscera, faciet pulsus paruos, tardos, raros, debiliores. Causa est manifesta, si meministi eorum quæ antea dicta sunt. Usus siquidem est diminutus, & facultas affecta, quæ debiliores, non tamen exactè debiles efficit pulsus. Quòd si aquæ frigiditas intrò non penetrauerit, immò recaleficerit lauantem (quod fit, ut docet Aristoteles, per antiperistasis, dum calorem colligit ac unit. cuius meminit Hippocrates, dum inquit in aphorismo: Aliquando fit in iuuene bene carnosus, & stante media, ut frigidæ aquæ multa perfusio calorem reuocet) Quia ergo recalefacit per accidens, & coniungit uirtutem, coniuncta autem fortior est quam dispersa. faciet pulsus magnos & uehementes: detrahit autē celeritatem & crebritatem, propteræ quòd magnitudo sola satisfacit usui.

#### CIBI ET INDIGENTIAE quales pulsus. Cap. II.

- ” Cibus copiosus aggrauans facultatem, facit pulsus inæquales, & inordinatos.
- ” Moderatus cibus facit
- ” Magnos, celeres, crebros, uehementes.
- ” Parcus cibus
- ” Sic immutat pulsus, sicut moderatos, sed minus, nec diu.

Ostendimus libro tertio, capite secundo, nono

e

et decimo, causas inæqualitatis systematicæ, et singularis: unde facile colliges, cur ciborum magna repletio seu abundantia, quæ facultati est oneri, producat pulsus inæquales, non solum magnitudine, sed etiam celeritate, crebritate, et uehementia. Sunt autem plures et diuersi gradus oneratae facultatis. nam alias plus, alias minus premitur, quod ita discernes. Si in inæqualitate anonyma, et omnium generum, plures reperiantur magni et uehementes, signum erit leuioris oneris: si uero plures reperiantur parui, et languidi, indicium est magnæ onerationis. atq; huius regule in alijs quoque facultatis onerationibus, nō solum ex cibis, meniſſe expedit. Ordinis autem perturbatio ideo fit, quoniam facultas nunc erigit sese, nunc declinat, ac iterum collectis viribus exurgit: quod non statim, nec certo facit tempore, quoniam onere prohibetur.

Ceterum moderatus cibus auget calorem, augendo eius substantiam. Constat enim, quod in nobis aliquando qualitas caloris intenditur, aliquando substantia ius augetur. Vnde contingit bifariam quoque calidius fieri animal, uel quod plus calidorum humorū sit nactum, sanguinis scilicet aut ictis. aut quod calidiores eos habeat quam ante. Quia igitur cibi augent substantiam caloris, succos augendo, recalefactūt nos: unde magni, celeres et crebri

pulsus enascuntur. Non solum autem calor auctus causa est magnitudinis pulsus, in ijs qui mediocriter sunt cibati, sed etiam facultas robusta. sit aut robusta ex cibis, quia adtemperant crasim, quam uocant complexionem corporis: quæ dissolueretur, eo quod calor depascitur mixturam corporum, nisi per cibos iterum fieret restauratio. Hæc igitur est altera causa magnitudinis pulsus, & uehementiae. Idem porro intelligas de crudis succis, qui dum concoquuntur & uertuntur in nutrimentum, addunt roribus uirtuti, & augent calorem.

Parcus cibus non adeò manifestam facit pulsus immutationem, ad magnitudinem, celeritatem, crebritatem et uehementiam, sicut moderatus. Peritos tamen artis non latet: citò autem dispergit, quoniam cita est paucorum ciborum absorptio.

Hæ autem immutationes pulsuum ex cibis, proueniunt, cum incipiunt nutrire. Qualitates enim, quæ in cibis sunt, antequam uertuntur in nutrimentum, aliter pro sua ratione pulsus immutant. Lactuca siquidem tamdiu refrigerat, quamdiu coquitur: dū uero nutrire incipit, auget substantiam insiti caloris. Potus & cibi frigidi tam diu refrigerant, & secundum refrigerationem pulsus alterant, donec superentur, siantque nutrimentum. Idem de calidis esto iudicium.

Penu-

Penuria cibi, quam indigentia vocant aliqui, facultatem dissoluit. Inde pulsus fiunt primo parui, celeres, crebri, languidi. Deinde in processu, parui, tardi, rari, languidi. Postea minimi, tardissimi, creberrimi, languidissimi. Postremo formicantes, qui falsam præse ferunt celeritatis speciem. Rationes omniū horum notæ sunt ijs, qui priora quæ diximus non sunt obliti.

VINI ET CERVISIAE PVL=  
sus. Cap. 12.

**V**inum & ceruisia, pulsus ita commutat, sicut & cibus. sed hoc interest, quod mutatio ex uino statim fit, & citò desinit: plus etiam celeritatem auget, & magnitudinem, quam uehementiam & crebritatem.

Quia facilius est impleri potu quam cibis, ut dixit Hippocrates: propterea uinum facilius & ci- tius pulsus uariabit, quam cibus. Quia etiam eorum que uniuersim & uelocius nutriunt, ueloces quoque fiunt excrētiones, ut idem testatur Hippocrates: ac, ut ait in libro de Alimentis, cibus εὐπρόσδετος ἐξαιρέωτος, id est, qui facile concoquitur, facile absimitur: mirum non est, quod destinat citò alteratio pulsuū ex uino, quoniam nutrimentum ex eo proueniens facile difflatur, & in hali- tum transpirat. Quoniam autem uina ut plurimi

p s sunt

sunt calidiora, quam cibi, idcirco aucto usu magis augent magnitudinem & celeritatem: cibi uero, magis uehementiam. Substantia enim alimenti ex cibis quanto est densior, ac solidis membris similius, tanto temperamentum ex ea gratius est et firmitius: hoc uero nihil aliud est, quam facultatis robur, ut antea ostendimus.

Porrò ex cibis crebritas est maior: quia magnitudo & celeritas tanta non est, quāta ex uino, quae satisfaceret necessitatī.

Ceruisia uero, cuius loco uini in multis regiōnibus usus est, eodem modo uariat pulsus, quo & uinum: sed est differentia secundum magis & minus. Nam quae tenuiores, & non usque adeò sunt calidæ, minus magnitudinē & celeritatem augent: uehementiā uero paulo posterius. Quae uero sunt calidiores quam nonnulla uina, quales sunt amare & acres, crasse, magis recalefaciunt corpora, & propterea magnitudinem & celeritatem pulsuum magis excitant.

Illud uero obseruabis, in omni genere potus, sit ne parcus, an moderatus, uel superfluus. Nam a iæ prodeunt ex ijs singulis pulsuum differentiae: quod priore capite insinuauimus, dum de cibis loquemur.

Perturb.

P E R T U R B A T I O N E S A N I M I  
quos faciant pulsus. Cap. 13.

Ira facit altum, magnum, celerem, crebrum, ue-	ce
hementem.	"
Letitia magnum, tardum, rarum, moderatum.	"
Tristitia paruum, tardum, rarum, languidum.	"
Timor recens, celerem, inordinatum, inaequa-	"
lem.	"
Timor inueteratus talem facit, qualcm tristitia.	"

Accidentia animæ Cicero perturbationes ani-  
mi, alij turbidos cōcitatosq; animorū motus uocat:  
Græci ωδητῆς φυχῆς, id est, affectiones animæ.  
Quarum multæ sunt differentiæ, præcipue tamen  
hae, quarum pulsus descripsimus. Magna uis ea-  
rum est, & miras in corpore innouationes pro-  
creant.

Ira, quæ est feruor innati caloris, quum anima  
uindictā sumere de eo cupit, qui uidetur offendisse,  
cuius gratia spiritus citò effunduntur, & san-  
guis ad exteriora, eaq; agitatione tanto magis ac-  
cenduntur. Non mirum igitur, quod faciant pul-  
sus magnos, celeres, crebros. At uero uehementes  
cur faciat, in causa est irritatio uirtutis. Docu-  
imus enim libro tertio, pulsus uehementes ori-  
vi uel à robusta, uel irritata facultate. Irritatur  
autem eo, quod ipsam molestat, siue humo-  
res sunt, quos ferre recusat, ac ejcere conatur,

ut

ut sit in crīsibus: siue coactus motus, ut sit in exercitio: siue dolor, de quo postea dicetur: siue aliud symptoma, cum quo natura concertatur: siue quidpiam aduersi, quod rationalem facultatē male habet, postea & uitale, ratione consensus, ut hostes & terrores.

In letitia uero etiam est motus spirituum & sanguinis ad exteriora, sed latus, nec tam uelox: in quo non redundunt tam feruidi spiritus & humores, sicut in ira. Quare magnitudo sola pulsum auget, quæ cohabet celeritatem & crebritatā, sola usui sufficiens: id quod etiā in uirili sexu, si conseratur ad muliebrem, à natura fieri docuimus. Quia uero non irritatur facultas, nec conquirit uigorem, idcirco uehementia nihil recedit à mediocritate.

Quod si letitia fuerit immensa, in qua multi dissipentur spiritus, adferet pulsus contrarios, paruos scilicet, crebros & debiles, ad extremum formicantes, & deinceps mortem. Quod accidit Diagoræ, ut scribit Aulus Gellius in Noctibus Atticis: Chiloni etiam, & Sophocli, & Dionysto tyranno, ut testatur Plinius. Et nos ipsi cōperimus matronam in Polonia nobilem, prouectæ iam ætatis, quum filium cerneret ad summum dignitatis gradum euēlum, stipatum caterua magnatum, qui eum honoris causa comitabantur, præcedebant, & seque-

## Liber quartus.

221

sequebantur, præterire in equo ædes suas, præ lætitia uiribus fuisse destitutam, & post complures dies mortuam. Non grauatur autem facultas in summa lætitia, quod interpres Galeni Latinus scribit, sed resoluuntur.

Tristitia motum facit contrarium læticiae. lente enim reducit spiritus & sanguinem intro, defrauans exteriora membra calore & uiribus. Merito igitur fient pulsus parui, tardi, rari, & languidi.

Timor magnitudine potius & uehementia, non toto genere differt à tristitia. motum exequitur iuxta contrarium: subito enim reuocat spiritus & sanguinem intro. cuius rei testimonium est, pallor, tremor, & frigus extremorum. hæc enim cōperiuntur, dum effœminati sunt perculsi timore. Opprimit igitur copia facultatem, et aggrauat affluxu tumultuoso. quare pulsus prodibunt inæquales & inordinati, qui grauatae facultatis, ut nosti, sunt progenies. Quod uero interpres Galeni Latinus, doceat fieri uibratos pulsus in timore, hoc Galeno nunquam in mentem uenit: neque hoc habet Græcus codex, nisi in libello ad Tyrone, quod tamen postea rescidit Galenus.

Docuimus autem antea, aucti usus & ualidae facultatis ad exteriora prorumpentis simul, & instrumenti duri, uibratos pulsus creaturæ esse. Hæc uero

uerò quæ de timore tradimus , accipe, dum timor est recens. Si enim sit inueteratus , non facit motum intrò subitum , sed lentum : ut tristitia. Imò timor diutinus nihil est aliud, quam tristitia: faciet igitur pulsus tales, quales tristantium esse ostendimus.

Solent autem nonnunquam hæ animi perturbationes plures simul commisceri. Ira saepius cum timore hominem inuidit, sanè tum habebit pulsus inæquales: non illos quidem sua sponte , semper enim haberet tales; sed quia adiunctus ad eā est timor. iure ergo uarij tum & inæquales apparent, quum non tantum à diuersis causis alterentur, sed etiam natura contrarijs. Nam propter ultiōis appetentiā sunt alti, magni, celeres, uehementes: quoanā facultati foras subito prodeunti, & irritate, familiari sunt huiusmodi pulsus. Quia uero timor est maior accipiendo mali, quam spes dandi: idcirco intermictetur humiles, parui, tardi, lāguidi. Quare inuicem utriq; pro cause præpollentis natura nidentur euariari, ac excellit modò ira, modò metus.

### A MORIS PVLSVS QVA-

lis. Cap. 14.

» **A** Mor facit inæquales, anonymos, & inordinatos.

» **A**mor est affectio eius animæ facultatis, que concupisibilis vocatur, cuius sedes est in hepate:

con-

## Liber quartus.

223

concupiscit siquidem amans potiri, & satiari eo quod amat. Habet autem amor adiunctas secundas alias animae perturbationes, tristitiam, gaudium. Quod si melancholica quoque sollicitudo accedit, erit affectio multo molestior, que emaciatur hominem, & reddit cogitabundum de pulchritudine formae, morum, & gestuum, eius quem amat: siquidem Res est solliciti plena timoris amor, ut ait poeta. Proinde non mireris, quod in amante pulsus sunt inaequales & inordinati, ex diuersis & inuisibilis pugnantibus animi affectionibus profecti. Qui uero sint anonymi inaequales pulsus, docuimus libro primo: ac eos etiam depinximus in tabula, que constitutionem omnium pulsuum continet, quam semper pre oculis habere expedire, ut ne excidat nobis e memoria, ulla pulsuum differentia.

Memini me iam olim, pulsus amoris primum experimentum fecisse, in uxore cuiusdam uiri nobilis, quam subolseceram adulteri amore fuisse correptam, sed nesciui quis esset. Quum assiderem quadam die ei foeminam, cœpi de industria percunctari res plurimas ab ea, quarum cognitio ad curandam eam (nam maritus eius, medendi causa in febre, curare mea eam commiserat, peregrinè proficisci) uidebatur esse necessaria. interim uero manum eius adtrectabam, & tangebam arteriam interpollatim, insinuauit etiam mentionem multorum hominum coram ipsa, quos

110a

nominatim recensebam. Quum uero inter ceteros nominauit eum, quem ipsa deperibat: coepit illico pulsus uariari, ac ex naturali fieri multo minor, celerior, crebrior et languidior: sed in ipsis omnibus inaequaliter, commutans sine ullo ordine, pulsus paruos in magnos, debiles in languidos, et uicissim hos in illos, similiter et celeres in tardiores, crebriores in rariores, et econtra perseverauit uero ea pulsum immutatio aliquousque, nec citio desist. Ac ego tum conjectura sum asscetus, illum ipsum fuisse eius adulterum, ad cuius commemorationem ipsa tantum expauit, et pulsus perturbauit: quod non contigit alias, dum aliorum iuuenium, præter adulterum, mentionem facerem. Talem autem pulsum in ea reperi ad recordationem sui adulteri, qualis fit in timore, dum ei repugnat ratio, et facit hominem anxium, et distractum. Recte autem dixit Galenus, scribens in librum primum Prognosticorum Hippocratis, nullum esse pulsum amori proprium: quoniam non pulsant arteriae quicquam amatorij, sed perturbatum animum amantis indicant. Sunt uero complures foeminae, uirgines et maritae, quarum natura ita est comparata, ut statim expauescant ad quamlibet occasionem, quas uerecundas esse reputamus: pulsus etiam in talibus statim fiunt inaequales. Sed hoc adhibendum est discriminem: timor naturalis

Liber quartus.

225

Yalis statim cessat, et ex eo uariatio in pulsu statim  
præterit: sed timor culpa perseverans est, in quo  
pulsuum permutatio perdurat, etiamsi repetitis ui-  
cibus aliquoties tangas arteriam.

VENEREORVM, ET EVACU-  
ationum pulsus. Cap. 15.

**V**enus moderata facit magnos moderatos, *ee*  
moderatos uehementes. *ee*

Immodica, paruos, celeres, crebros, languidos. *ee*

Immodicissima, paruos, tardos, crebros, debiles. *ee*

Venere, seu coitu si quis opportunè & medi-  
ocriter utatur, quia excernit superfluum sperma-  
tis recrementum, facultatem exonerat, mentem  
exhilarat, uapores fumosos elicit, consequetur ma-  
gnos & uehementes pulsus. Sed si immodicus  
sit & importunus coitus, post laborem scilicet,  
aut motum fortè, aut animi grauem perturbati-  
onem, debilitat facultatem, facit que paruos &  
languidos pulsus, celeres autem & crebros: tum  
propter exhausti spiritus penuriam ( nam hoc  
etiam pacto augeri necessitatem, sèpius docui-  
mus ) tum propter recalcrationem ex motu.  
Ad immodicissimam uero uenerem, quia euacuat  
plurimos spiritus, facultatem dissoluit, corpus  
siccat, meritò succedunt pulsus parui, tardi, cre-  
bri, debiles. Quales etiam in generosis militibus re-

q peri-

Sphygmicæ artis  
perimus sæpius manæ, qui noctu meretricijs abusi  
fuerant flagitijs.

Aliæ porrò euacuationes, & mundificationes  
corporis quæcunque, dummodo sint moderate, ad  
magnitudinem & uehementiam pulsus perdu-  
cunt: quia augent robur facultatis, & emendant  
habitum corporis. Immodicæ uero, que non con-  
ferunt, pulsus dissolutæ facultati proprios gene-  
rabunt.

DE CAVSIS CONTRA NATU-  
ram. Cap. 16.

**D**Estinauimus librum hunc quartum, edifi-  
cerendis causis pulsuum secundarijs. Quæ  
quoniam trifariam sunt diuisæ (aliæ enim sunt res  
naturales, aliæ non naturales, aliæ contra natu-  
ram) duas uero priores species iam absoluimus: re-  
stat ut tertiam, que contra naturam est, profera-  
mus, cuius copiosa est multitudo. Nam quis igno-  
rat, morborum plurimas esse differentias, tam sim-  
plicium, quam compositorum? ad hæc causas mor-  
borum quis medicorum nescit esse plurimas? De  
symptomatibus cui dubium est, innumeram eorum  
esse copiam? Ars tamen docet tantam multitudi-  
nem certis generibus comprehendere: ad quæ tan-  
quam ad locos communes referendi erunt omnes  
affectus, præter naturam, pulsus immutantes. ij uero  
loci, seu genera hæc sunt.

Call

Cause præter naturā pulsuum alteratrices, præ ter hoc quod usum immutant, & organa pulsus, resoluunt facultatem, aut onerant, aut irritant. Resoluunt facultatem, alimenti inopia, morborum malignitas, animi summae perturbationes, dolores nimis aut longi, effluxiones superfluæ, intemperies magnaæ quas dyscrasias uocant. Onerat facultatem plenitudo, morbi membrorum officialium, quales sunt inflammatiōnes, scirrhi, tumores, abscessus, corruptiones uariae, & morbi malæ compositionis. Irritant porro hæc eadē quæ uia resoluendi, uel grauandi pollere diximus, dum facultatem ad conatus seu certamen prouocant, quò repellere nititur sua incommoda. Sæpe autem coeunt, & complicantur cause resoluentes cum onerantibus, & irritantibus.

Pro diuersitate igitur harum noxarum, nascen-  
tur uarij pulsus. Nam quæ noxæ resoluunt facul-  
tatem, facient primò paruos, celeres, crebros, lan-  
guidos: postea paruos, tardos, crebros, languidos.  
deinceps uero minimos, tardissimos, creberri-  
mos, languidissimos. Insigniter enim paruis pul-  
sibus sere omnibus adiungitur crebitas, quod no-  
tum est ex ijs quæ antea diximus. Quod si necdi-  
finis sit nocendi per resolutionem, peribunt nonul-  
li integri motus pulsuum, sicutq; intermittentes,  
deficientes, myuri reciproci, myuri non recipro-

Sphygmice artis  
ci, uermiculantes, formicantes. Quæ uero one-  
rant facultatem, producunt inæquales anonymos,  
inordinatos: postea & eos qui nomina habent  
propria, intercurrentes, intermittentes, capri-  
zantes, undosos, uibratos, conuulsiuos, ferrantes.  
Quæ uero irritant, faciunt pulsus magnos, altos,  
celeres, crebros, uehementes, si robusta est facul-  
tas: paruos uero, tardos, crebros, cum multiplici  
inæqualitate, si est imbecilla. Hæc autem exem-  
plis declaremus.

EFFLUXIONVM PVLSVS.  
Cap. 17.

**D**Vm uires resoluuntur ex nimis effluxioni  
bus diarrhoeis, scilicet dysenterijs, super-  
fluis menstruis, haemorrhoidibus, sanguinis pro-  
fluuijs, sudoribus, & quas chirugi faciunt perfora-  
tionibus, in hydrope, empyemate, gonorrhœis, &  
id genus alijs, efficiuntur pulsus in magno excesso  
su horum quæ enumerauimus, parui, celeres, crea-  
bri, languidi, in maximo uermiculantes, & for-  
micantes, quos solent præcedere deficiente singu-  
lares. Quod si absunt febres, manifestior tum est  
uermiculans, & longius perseverat. Superuen-  
iens enim febris, præsertim magna, abigit, ob au-  
ctum calorem, uermiculantem, eo quod quarun-  
dam partium tarditate & raritate non est suffi-  
cens

ciens implendo usui : succedit loco eius formicans,  
nonnunquam deficiens.

## DOLORIS PVLSVS.

Cap. 18.

Dolor in principio facit maiorem , cele=	“
riorem, crebriorem, uehementiorem.	“
In processu facit minorem, celerem, crebrum, lan=	“
guidorem.	“
Postremo, paruum, tardum, creberrimum, lan=	“
guidum.	“
Vltimò formicantem.	“

Ad intelligendum Aphorismum hunc, reducenda est in memoriam regula illa, quam libro secundo tradidimus de Pulsibus, qui comparatiuo effe=runtur gradu:

Vehementior pulsus est in dolore ex irritata facultate: quod nemo intelligit, nisi qui meminit, quid sit robusta facultas, quid irritata. Facultas autem in doloris principio, priusquam fatiscat, concentat sese ad reiiciendum & propulsandum, id quod sibi est molestum. Eadem est ratio cur sunt & maiores, & celeriores, & crebriores. nam & ijs irritatae facultati, & robustae sunt familiares. Secus est de ijs, qui insigniter crebri sunt. hos enim docuimus imbecillae facultatis conmites esse.

Facultas resoluitur in doloribus, qui uel princi

pem aliquam partem obcederunt, uel diutini sunt,  
uel fortissimi. Quocūq; autem horum præcipite-  
tur, & deficiat, faciet pulsus in paruo defectu, mi-  
nores, debiliores: celeres autem ex crebros ob agi-  
tationem spirituum, qui tum effervescent. In ma-  
iore defectu, paruos, tardos, creberrimos, debiles.  
Rationes omnium manifestæ sunt ex prioribus.

## INFLAMMATIONIS PVLSVS.

Cap. 19.

” **I**nflammationis pulsus, præter hoc quod ten-  
sus est, efficitur serrans & vibratus, nisi repu-  
gnet inflammationis qualitas uel quantitas, uel na-  
tura loci, uel symptoma.

Inflammationē hoc loco, siue phlegmonē uoca-  
mus tumorem calidum, qui quoniam pulsus duri-  
ciem conciliat propter tensionem, usum quoque au-  
get propter febrem, facultatem ad grauat, propter  
impactos in arterijs ex uenis humores: propterea  
profert serrantem pulsum, cuius causas synecticas  
libro tertio descripsimus, sicut ex causas vibrati et  
tensi, quare illuc recurras.

Quia uero in Aphorismo dicitur, Nisi repu-  
gnet inflammationis qualitas: hoc ita accipias,  
quoniam phlegmone alia est dura, quæ efficit ser-  
rantem pulsum: alia mollis, qualis est cedematosa,  
siue phlegmatica, quæ non sinit fieri serrantem  
pulsum:

## Liber quartus.

231

pulsum: repugnat enim mollicies instrumenti & tumoris. Sic & uomicæ, quia molles sunt, undosum potius proferunt, quam ferrantem.

Quantitas uero inflammationis magna, serrantem facit. alioqui si parua sit, parum aut nihil serrantis habebit: uel saltem illa in parte serrans erit, quam obsedit inflammatio, non mutatis aliarum partium pulsibus.

Natura loci, id est membra. Nervosæ & membranosæ partes, si fuerint phlegmone obsecæ, edent manifestum serrantem pulsum: quoniam magis tenduntur, ut quæ suaptæ natura etiam tensæ sunt. Carnosa uero, & mollia membra, nihil tale edunt. Et hinc est, quod in cerebri, pulmonis et carnis inflammationibus, nunquam appareat serrans pulsus. Membra quoque pluribus & maioribus arterijs prædita & uenis, magnum, celerè, & crebrum pulsum loco serrantis proferunt: propter obstructionem uero, & compressionem earudem uenarum, & arteriarum, quas phlegmone occupauit, inæqualem.

Symptomata inflammatione sequentia, sëpe prohibent serrantem fieri pulsum. Inflammatione diaphragmatis sequitur conuulsio, quæ peruerit serrantes pulsus: inflammationem stomachi syncope, quæ proprium pulsum præse fert: inflammatione uentriculi aperpsia, id est, cruditas: inflammatione

q 4      hepatis

1232 Sphygmicæ artis

hepatis atrophia, id est, nutricionis priuatio: inflammationem pulmonis suffocatio, quæ etiā proprium retinet pulsus ( quis autem sit, postea dicetur ) inflammationem renū, urinæ suppressio. inflammationē membrorum, quæ exquisito prædita sunt sensu, sequitur dolor intolerabilis, cuius pulsus iā nosti: aliorū nosces ex ijs quæ postea dicetur.

Habenda uero est ratio & temporum inflammationis. In principio enim maiores sunt, celeriores, crebriores, uehementiores: in augmento increscent hæc omnia, & fiunt magis serrantes & ubrati. In statu, propter attritas uires, minor est celer & creber, languidus, & manifestius serrans. In declinatione, omnia sunt mitiora.

Inflammatio si diuturna est, & indurescat in seir rhum, gracilitatem pulsus generat, & duriciem.

PLEVRITIDIS PVLSVS.

Cap. 20.

» **P**leuritidis pulsus est non nimis magnus, celer, creber, plus minus, durus, apparentis uehementiæ, serrans.

Quoniam pleuritidi adiungitur semper febris acuta, propterea celerem esse oportet pulsus. Quia uero membrana costas succingens, inflammationis tumore tenditur, necesse est fieri durū. Docuimus autem libro tertio, duras arterias inceptas esse distensioni: quare mirū non est, quod pulsus

sus sint non nimis magni pleuriticorum. Ut autem succurratur defectui ob diminutam magnitudinem, additur crebitas, alias plus, alias minus. plus crebitatis similiter et duricie accrescit in pleuritide cholerica, minus in phlegmatica. In sanguinea uero crebitatis et duricie medius est modus, comparatione aliarum. Ad crescit autem crebitas, et excellit, non solum propter hoc quod diximus, sed etiam propter symptoma aliquod. Imminente enim syncopa, quae accidere solent pleuriticis, ob resolutionem uirium, inualescat crebitas. Similiter fit propter morbum aliud superuenientem, seu superadditum, ut si peripneumonia accedit. Accedit autem, aut quia subsequitur pleuritidem, et simul hominem affligit: aut quia pleuritis transmutatur in ipsam, secundum aphorismum Hippocratis, A morbo late rali inflammatio pulmonis.

Quod si in pleuritide rarer sit pulsus, magis quam ratio inflammationis exigit, portendit carum, seu subiectum propterea futurum, quod cerebrum recipit humidos et pituitosos vapores ex ipsa inflammatione exortos. Crescente uero adhuc magis rapiditate simul & magnitudine, indicium erit expulsulantis in cerebro lethargi. nam ex birsen fit sirsen, ut aiunt Arabes.

Cur serras sit in pleuritide pulsus, nosti ex priore capite. hie rationes repetende non sunt. Id ue-

q 5 rò ob

## 234 Sphygmicæ artis

ro obseruabis diligenter, dum in pleurite nimia  
adest tensio et duricies ( quæ duo serrantem ipsum  
reddunt: ut alia obmittam, quæ ad serrantis gene-  
rationem pertinent, de quibus libro tertio dictum  
est) significatio est ingentis tumoris ex inflamma-  
tione, & difficilis ad coctionem. Quod si debiles  
sunt uires ægroti, periculum est mortis: si uero ro-  
bustæ, futurus est morbus longus, uel empyema, id  
est, suppuratio, aut marasmus, seu tabes. Maras-  
mum & empyema, per proprios pulsus, quos po-  
stea describemus, dignoscet. longitudinem autem  
morbi quæ coctione superabitur, ostendet tibi len-  
ta commutatio pulsus ad naturalem statum.

Porrò quod in aphorismo dicitur, Apparen-  
tis uehementie: admonet lectorem, ut reuocet in  
animum, duri pulsus cum uehemente magnam ef-  
fe communionem. uterq; enim tactum euerit: &  
imperiti facile decipiuntur, occursu duri pulsus,  
quem putant esse uehementem. Docuimus autem  
libro secundo, proprias notas & pathemata utrius-  
visq; & quo modo à se inuicem discernantur.

## EMPIEMATIS PVLSVS.

Cap. 21.

• **Q** Valis est pulsus in statu inflammationis,  
• talis est initio empyematis, inæqualis, in-  
• ordinatus, in omnibus hecticus: dum uero iam est

con-

confectum pus, fit paulo æqualior: in ruptione ue= “  
rò latior, tardior, rarior, languidior. “

Empyema apud Græcos est, puris aggregatio.  
Latini suppurationem uocant. peculiariter tamen  
Græci hoc nomē adtribuunt ijs, qui in cuitate tho-  
racis pus habet collectum, siue ex rupta pleuritide,  
siue peripneumonia, siue ex uulnere. Aphorismus  
autem hic de pulsu suppurationis uerus est, non so-  
lum in ijs qui in thorace suppurationsunt, sed etiam  
& in alio uiscere, quod pulsum totius corporis im-  
mutare potest.

Quia initium suppurationis est status inflam-  
ationis: nimirum ergo, si tales sunt pulsus, dum in-  
cipit empyema, quales sunt dum ad statum perue-  
nit inflammatio, inæquales, inordinati, inæquali-  
tate anonyma: quod si duricies & tensio excellant,  
etiam serrante. Docuimus enim iam aliquoties,  
inæquales fieri pulsus ob aggrauatam facultatem,  
ob compressionem & obstructionem instrumenti:  
hæc uero in statu inflammationis adesse quis dubitat?  
humor siquidem putridus iã semicoctus, modò huc  
modò illuc sine ordine cōfluit: nūc ad uenas ex arte  
rijs, nūc ad arterias ex uenis, nūc ad spacia in quib.  
mouentur arteriæ, ac prodeunt magni, celeres, uehe-  
mentes pulsus, dū irritata facultas conatur, quod se  
molestat, abiçere: dū etiā transitus spiritib. non præ-  
cluditur, impacto in arterijs humore: parui uero,  
tardi,

tardi, crebri & languidi, dum facultas defessa est ex irritatione, & fatigata, aut arteriae obstruuntur, vel cōprimuntur. Habet causas inæqualitatis et ataxia, quæ iam confecto pure mitescunt, propterea quod non sit tanta tensio, molliore iam existente tumore: irritatio deniq; remittitur. Dum enim pus conficitur, dolores ac febres accidunt magis, quam iam confecto pure, dicit Hippocrates. Est uero heclicus usq; ad eruptionem puris: quoniam facultas perstat in suo conatu, nec laborare cessat, donec sanies ex affecto loco effluat. Post cuius effluxum succedunt pulsus latiores, tardiores, rariores, languidores. Facultas enim defatigata pugnando est, calor effebuit, corpus præterea est extenuatum. Docuimus uero libro tertio, facultatem imbecilliorum, loci amplitudinem, causas fuisse lati pulsus: qui tanto est manifestior post eruptionem puris, quanto erat maior & altior ante eruptionem: sicut magna molis ruina magis apparet & inclarescit, quam parvæ.

MARASMORVM ET PHTHILIS pulsus. Cap. 22.

- » **M**Arasmi simplicis pulsus est parvus, languidus.
- » Calidi parvus, celer, creber, languidus, eminulus.
- » Frigidi parvus, tardus, rarus, languidus.
- » Omnim uero heclicus est, & durus.

Quem

## Liber quartus.

237

Quem affectum Græci marasmiū, Latini tabem,  
alijs ariditatē, alijs maciem, alijs marcorem uocat. Est  
autem corruptio uiuentis à siccitate, cuius tres sunt  
differentiae. Est enim marasmus simplex, quādō to-  
tum corpus aridū efficitur, siccitate ultra modum  
excedente, calido uero & frigido intra terminos  
suos manente. Talis autem ex inedijs oriri consue-  
uit, dum uel non habet quis quod edat, uel edere  
prohibetur:

Altera species est marasmus calidus, quem exu-  
rentē aliqui uocant. fit aut, dum ad siccitatē adiūgi-  
tur calor immodicus, qui torret, et liquat. talis fit in  
hecticis febribus, in erysipelate uētriculi, in intēpe-  
rie calida et siccā uētriculi, in intēperie uisceris alte-  
rius, in inflāmationib. interiorū non bene discussis.

Tertia differentia est tabes frigida, dum simul  
cum siccitate excrescit frigiditas, qualis fit secun-  
dum naturam in senibus decrepitis: cōtra naturam  
uerò in ijs, membrū qui interius aliquod habent su-  
pramodum exsiccatum et refrigeratum, ab eo uero  
totum corpus, ut fit uentriculo affecto in plurimis.  
Antiqui hanc speciem marasmi uocabāt ēn vōo & ḡn-  
ḡs, id est ex morbo senectus: quippe quod seniū est  
in sanis, id siccā et frigida intemperies in ægris. Po-  
steriores autem duæ species marasmi sunt duplices,  
& compositi modi corruptionis, à siccō scilicet, cuī  
uel calidum, uel frigidum sit adiunctum.

Sunt

Sunt autem omnium marasmorum communes notæ in facie: nares acutæ, caui oculi, collapsa tempora, contractæ imis inuersis aures, cutis dura faciei, tensa atq; arida, totius deniq; corporis extenuatio: quæ tanto est insignior, quanto intimius humidum absimitur. Quæ enim sit ex penuria sanguinis, qui in proprijs cuiusq; particule exilibus arterijs & uenis consistit, insignis est extenuatio. Magna uero, quum propria humiditas unde partes nutriuntur, omnino est absumpta: continetur ea in omnibus animalis partibus, ceu ros quidam per eas sparsus: maior uero est tertia, quum substantia ex sanguine concreta exsiccatur, aretq; caro scilicet & adeps. Maxima uero omnium est quarta, dum spermaticarum partium, quæ similares sunt, substantia exsiccatur, & contabescunt solida membra. Scire autem oportet, solidarum partium siccitati, si perduret, accedere necessariò frigiditatem. Permanere quippe siccitas per se, non mutata oppositione calidi & frigi, non potest. celeriter enim ex nutriendi defectu refrigerantur partes, proptera scilicet quod ex calido succo sanguinis nutriantur.

Marasmus tam simplicis quam cōpositæ corruptionis, a quolibet uiscere, male per siccitatem affecto, in totum corpus deriuari potest. Quod si à corde exoriatur, sic affecti celeriter arescunt, & breui

## Liber quartus.

239

breui mortem adfert : proxime huic qui à iocatore est incepitus, deinde is qui à uentriculo. Quis uero ab alijs partibus oritur, tanto sanè tardius occidit , quanto quælibet harum minoris est præstantia.

Omnes igitur intemperies siccæ , siue simul calidæ & siccæ , siue frigidæ & siccæ , cum affluxus materiæ , & sine affluxu , cum apostemate , & sine apostemate , possunt hoc malum introducere , marasnum scilicet ab una parte ad totum corpus . Accersant secum & alia mala . Nam quæ ab intemperie uentriculi uel cordis exoriuntur , syncopas accidunt . Et hinc est , quod ueteres Græci quosdam marasmos soliti erant uocare syncoposos , quosdam phlegmonosos , qui scilicet ex phlegmone alicuius uisceris ortum sumunt : quæ dū sunt exiguae in membro quoipam interiori , latent saepius medicum , quoniam symptomata grauia non edunt : sed successu temporis totum emaciant corpus . De generatione marasmi , & eius differentijs , propterea paulo latius tractauimus : quoniam magna medicorum turba nihil amplius scit de marasmo , quam de febre hectica , & phthisi .

Iam uero ijs probè perspectis quæ diximus , facile est asequi et intelligere , quæ in regula seu aphorismo dicuntur : Quod in simplici marasmo , qui raro reperit

reperitur, pulsus sit parvus & languidus, ratio est quoniam facultas robusta esse in hoc affectu non potest; et quanto est debilior, tanto plus diminuit magnitudinem pulsus, & detrahit uehementia. Quod uero in marasmo calido non solum parui sint, & languidi eandem ob causam, sed etiam celeres, & crebri: ratio est, quoniam usus est auctus. Eminulus uero propterea, quod arteria equaliter distendi non potest, ob imbecillitatem: plus ad tollitur pars arteriae media, eo quod sola, & ea leuiscula cute tegitur: utrinque uero partes tabida caro aggrauat, proinde minus ad tolluntur. In frigido marasmo, quia usus est diminutus, tarditas & raritas est loco celeritatis & crebritatis. Omnes porro marasmi hecticum habent pulsus: quoniam affectus non in humoribus, sed in solidis consistit partibus, quarum permanens est alteratio. Durus item est in omnibus marasmis pulsus, quoniam siccitatis comes est duricies. in calidis uero marasmis magis uiget duricies, tum propter hoc ipsum quod diximus: tamen, quia in talibus duo sunt que exuicum redundunt corpus, marasmus scilicet, & febris.

Phthisicorum pulsus.

„ Parui, non multum celeres, nec crebri, languidi, & hectici.

Ex uiru imbecillitate, phthisici pulsus habet paruos

## Liber quartus.

241

uos, & languidos. Quia uero eorum febris exilis est, proinde non adeo celeres sunt, nec crebri: hec*ci* uero, quoniam febris in solidis est partibus, hec*stica* scilicet.

### PERIPNEUMONICORVM pulsus. Cap. 23.

**M**Agnum, celer, creber plus minus, langui-  
dus, mollis, undosus, raro dicrotus, inter-  
mittens saepè, & intercurrentes.

Peripneumonia, quia inflamatio est pulmo-  
nis, meritò magnum & celerem pulsus edit: ex-  
tanto magis, quia instrumentum (arteria scilicet)  
est molle. Crebrum uero plus minus, quoniam pe-  
ripneumonici acuta laborant febre. simul & coma-  
te, seu sopore, qui profundus nimis somnus est, in  
quo uapores multi humidi ad cerebrum recto efferuntur  
tramite. Quod si plus affigit febris, plus erunt  
crebri: si sopor magis praeualet, minus erunt crebri.

Languidi: quoniam cor est proximum, quod ui-  
cino malo labefactatum, uim pulsatile arterijs par-  
ce infundit. Mollis, quoniam pulmo uiscus est la-  
xum, molle, multis uacuitatibus seu spacijs inani-  
bus præditum, in quibus phlegmata redundant. ob-  
ea uero madent arteriae, & flaccescum: tumor etiā  
inflammationis phlegmaticus est. Nam biliosus  
succus in tam amplis membra spacijs hærere non so-  
let, sed diffilit, phlegmata uero impingunt & ma-

r nent;

nent: quæ si colligantur in unum, & putrefiant, accidunt pulmonem, obstrunt uasa eius, aggrauant, comprimunt. Inde uero enascitur inæquitas, tam singularis ( quæ in singulis ictibus adest, cuius species est undosus pulsus, licet sit compositus ) quam systematica, cuius species sunt intermittens & intercurrentes.

Causas undosi nosti ex sedecimo capite libri tertij, ac multo melius ex tredecimo: intermittentis uero, & intercurrentis, ex nono eiusdem libri capite.

Quod uero dicitur in Aphorismo, Rarò dicrotus: intelligas dicrotum impropriè, qui idem est secundum Galenum cum uibrato obscuro ( nam quis sit propriè dicrotus, nosti ex libro primo ) Apparet autem tactui quasi dicrotus, id est bis pulsans: quoniam uno eodem que tempore alia pars arteriæ adtollitur, alia demittitur, ac uicissim erigitur & deprimitur modice. Nam si id fiat excellenter, iam non obscura, sed manifesta fieret uibratio. Cur autem uibratus in peripneumonicis rarò reperiatur, etiam parvæ & obscure uibrationis, quoniam ad generationem eius duricie opus est arteriæ, quæ in pulmone inflammatione non reperitur, si extremæ pulmonis membranæ inflammatio non communicatur. tum enim, dum communicatur, tenditur membrana

## Liber quartus.

243

brana & arteria, atque ex tensione durus evenit pulsus, ac vibratus, nondum lapsa facultate. nam integris viribus pulsus vibratus indiget, ut antea docuimus.

## LETHARGICORVM PVLSVS.

Cap. 24.

**L**Ethargicorum pulsus magnitudine, debilitate, mollicie, similis est peripneumonicorum: sed tardior & rarius, & minus inaequalis: intermittens magis, quam intercurrens: dicrotus aliquando, undosus semper, si sopor accedat.

Lethargicis & peripneumonicis communis sunt pulsus, communes etiam eorum causae. Sed hoc differunt, quod tardiores sunt, & rariores in lethargo. neque enim tam acuta est febris, sicut in peripneumonia: eo quod locus affectus frigidior est, & procul à corde. Vicinia autem pulmonis ad cor, in causa est, cur & magis inaequales sint peripneumonicis pulsus. Noxa enim maior cordi communicatur ex propiore loco: ideo que facultas fatiscit magis.

Aliquando etiam accidit vibratio obscura in lethargo, si inflammatio adtingat membranas cerebri. Diximus autem obscurum vibratum, apud Galenum dicrotum impropre uocari.

cari. Sed raro membranas cerebri phlegmatica afficit inflammatio. nam ut in eas penetret, tenuiore opus est humore. At uero undosus semper fit, si coma, aut caros, seu subeth accidat. Inæqualitas enim undosa tum maxime uiget, dum molles sunt arteriarum tunicae, & facultas est onerata. Intermittens etiam saepius quam intercurrentis, qui et intercidens uocatur. Nam si recte eorum meminissi, quæ libro tertio scripsimus, interincidentem seu intercurrentem generat ualida & irritata facultas, quæ uel humorū copia grauatur, uel obstrukione molestatur, conaturq; ea à quibus male habet, expellere: cuius rei gratia non solum ex tardis motibus facit celeres, sed etiam addit plures. Vterq; porro & intermittens & intercurrentis, reperitur in lethargicis, sed saepius intermittens: eo quod usus est dimutus, magnitudo pulsus aucta, & affectio morbi frigidior, quam peripneumonia, facultas sopita & quasi semi mortua. Vnde evenit, ut lethargici sint cadaueribus magis similes, quam corpori uiuo.

Perperam autem apud Galenum eo loco, ubi agit de lethargicorum pulsu, interpres Latinus uerba inuertit græca, inquiens: Longè enim frigidior, & ut ita dicam, lethaliior peripneumonia est lethargicis. Quisi uero peripneumonia sit magis frigidus morbus, quam lethargus. Dicendum autem erat: Multo enim frigidior est, et ut ita dicam,

dicam, cadaueri similior, quam peripneumonia,  
morbus lethargicus. Græca enim sic habent, ἐπὶ<sup>τὸν</sup>  
πλέον γάρ τυχότοπον, λίκι τοσ αὐτοῖς τις νεροδέ<sup>τη</sup>  
τοποτῆς ίδια περιπνονυμονιας εἶται τὸ τέλος λιθοεργια<sup>νη</sup>  
νόσου. Quod autem dicit, Cadaueri similior,  
non uult, ut lethargus sit magis lethalis quam pe-  
ripneumonia: dixisset alioqui usitatis uerbis Galen-  
nus, μᾶλλον δονάσιμον. Somnus etiam naturalis  
quid aliud est, gelidae nisi mortis imago (ut ait poe-  
ta) non est tamen lethalis. sed ideo cadaueri simi-  
lis esse dicitur lethargicus, quoniam nullum mem-  
brum exterius suum facit officium in ipso, decum-  
bit instar mortui: səpius tamen conualescunt, &  
longius perdurant lethargici, quam peripneumo-  
nici. Auicenna autem contrarium Galeno sentire  
uidetur libro tertio, ubi agit de lethargo: Et cadit,  
inquit, in pulsu eius, cadens in medio plus quam  
virtus uitalis in ipso est sanior; & febris cum eo est  
minor, propter longitudinem ipsius à corde. Ca-  
dente in medio uocat hoc loco Auicenna cum,  
quem Græci παρεμπίποντα, Latini intercurren-  
tem, seu interincidentem nominant. Scio sententiam  
Ioannis Arculani, qui studens conciliare Auicen-  
nam hac in re cum Galeno, pulsum cadente in  
medio, eum esse interpretatur, cuius quies est ualde  
longa inter duas pulsationes: ita scilicet, quod alia  
pulsatio fieri potuisse. Sed hoc nihil aliud est,

quam intermittens pulsus. Quod si hoc ita est, non erit hoc pacto contrarius Galeno Auicenna, sed sibi ipsi quam maxime. Nam libro primo, ubi agit de pulsibus, pulsus cadentem in medio definit, qui loco duarum pulsationum tres facit: & dum quies sperabatur, eo tempore ipse uenit, quod non est aliud quam intercurrentis pulsus.

Nolo hic longius recensere errorem alterum Arculani, qui cadentem pulsum, ut uerbis eius utar, seu interincidentem, putat apud Galenum esse pulsantem, id est, dicrorum: sed quam bene, uerba adtestantur Galeni, ubi agit de peripneumonicorum pulsu. Verba Galeni sunt haec: In qua dicrotus, inquit, interim sit, in collectu autem inæqualitate, cum alias differentias habet, tum modò est intermittens, modò intercurrentis. Tres siquidem Galenus ijs uerbis inæqualitatibus differentias insigniores, & multum inter se differentes, in peripneumonicis describit. unam singularis inæqualitatis, iuxta ipsius sententiam, quæ dicrotus pulsus uocatur: duas uero systematicæ, sive congestiæ, intermittentes scilicet & intercurrentem, quem etiam interincidentem solemus appellare. Exprimit etiam nominatim singulas, & secernit dicrotū ab intercurrente: quod hic est systematicus, ille uero singularis. Primus quoque liber noster ex ijs, declarauit

## Liber quartus.

247

ravit tibi , quo differane ij pulsus à se inuicem:  
quem si oblitus es , nec scias quid doceat , frustræ  
hæc tibi narrantur : audis hæc , ueluti cæcus histo-  
riam de coloribus .

Silentio etiam præterire nolui ( ne quis alio-  
rum scriptis deceptus , à uera deflectat doctri-  
na ) errorem Bernardi Gordonij , in libro cui  
titulum dedit , Liliu[m] medicinæ , capite de Le-  
thargo . Docet enim , lethargicorum pulsus eſe  
paruum , strictum , occultum : sed quis sit stri-  
ctus pulsus , non declarat : intelligit tamen forsitan  
gracilem . At quod dicit eſe paruum , procul  
abest à uero . Credo tamen ipsi apparuīſe par-  
uum , qui reuera magnus est in lethargo . Nam qui  
imperitus est artis dignoscēdorum pulsuum , si ad-  
tingat pulsus lethargici , comprimente utens di-  
gitorum applicatione , non ſuſpensa , perſundabit  
magnitudinem eius . Langidi enim pulsus , licet ma-  
gnisint , non ferunt applicationem comprimen-  
tem : quod libro secundo docuimus . Et hinc fit ,  
quod etiam in pulsu lethargicorum , inæqualitas  
alia singularis , que impares citatos creat , non  
deprehenditur ( que tamen adeſt forsitan ) quia  
omnino quo dignoscatur , uult comprimi : at hoc  
præ imbecillitate non ſuſinet .

PHRENETICORVM PVLSVS.

Cap. 25.

r 4.

Phrenes-

” Phrenetici habent paruum , celerem , cre-  
 ” brum , durum , mediocris uchementia , raro-  
 ” undosum , sepius trementem , conuulsione ampu-  
 ” tatum , cum fibrili symptomate , tensum , ui-  
 ” bratum ,

Vndeциm pulsuum differentiæ in hoc aphoris-  
 mo exprimuntur , quæ phreneticos comitari so-  
 lent . Quinque priores sunt , ex quinque generibus  
 pulsuum desumptæ , quæ omnibus fere phreneticis  
 sunt communes . Sex uero posteriores , inæqualita-  
 tes sunt diuersorum specierum , quæ non omnibus  
 omnes solent aesse phreneticis ; sed aliquæ ex ijs ,  
 quibusdam plures , quibusdam pauciores , quod  
 iam declaremus .

Quia phrenetis inflammatio est tenuioris mem-  
 branæ cerebri , quam piam matrem uulgs uocat ,  
 uel septi transuersi , quod diaphragma Græci ap-  
 pellant ; non nirum est , duros in ea reperiri  
 pulsus , propter tensionem : tum quia utpluri-  
 mum phreneti à bilioso prouenit humore , cui  
 proprium est cogere , siccare , tendere , indurare .  
 Quia igitur duri sunt , & morbus cum febre inua-  
 dit magna , nec ñario celeres et cerebri efficiuntur ,  
 aucto scilicet ijs . Essent uero & magni : sed ob-  
 stat arteriæ duities , contumax ad distensionem .  
 Mediocris autem sunt uchementia , quod græcè di-  
 citur τόνος μετέωρος ἔχει ; quoniam irritatur facul-

tas membra sensibilis affectione, & ab iycere conatur quod se molestat: nimium autem uehementes debilitas non admissit. Habes causas omnium quinq; differentiarum, ex quinque generibus pulsus de sumptiarum. Iam ad inaequalitates ueniamus.

Rarò sit undosus in phrenetide, quoniam membrum affectum neruoso sum est, & durum: non, sicut in peripneumonia, molle. Quòd si tamen inflamatio adtingat cerebri substantiam, nascetur undosus: qui tam rarò sit in phrenetide, quam uibratus & durus in peripneumonia.

Tremens fit, dum facultas imbecilla est. Sepius uero trementem comperimus in hoc affectu, arterijs non trementibus, sed muscularis cubiti: de quo libro tertio dictum est.

Convulsione amputatum græcè apertius dicitur, ἀποκόπεια σπασμωδία: quasi dicas, pulsus cum apocopa per convulsionem. Simile quiddam est cum apocopa, quæ figura est grammatices, quæ amputat ultimam syllabam dictionis: ut si quis dicat, peculi pro peculij. ita enim amputatur postrema pars distensionis in hoc pulsu, per arteriæ convolutionem, quæ nō permittit perfici motū & quietem post distensionem. retrahit enim interim arteriam, dum erat cōflectura ultimam motus partem. Convulsionis uero, ut libro tertio ostendimus, nerosi membra affectio in causa est. Porro hæc nota-

r 5 in pul-

## 250 Sphygmicæ artis

in pulsu, apocopas scilicet per convulsionē, propria est omnib. phreneticis: quoniā præter septum transuersum & tenuē cerebri mēbranā, nō est aliud mēbrū, quod convulsionē maiorem faciat tempore in flāmationis facultas aut̄ nondū imbecilla, urgente calore, conatur distendere multū arterias, sed propter duriciē et tēstionē nō potest: accedēte uero convulsione, quæ abstrahit tensam arteriā à dignis medici, necesse est amputari externas motus partes.

Per febrile uero symptoma, quod in Aphorismo scribitur, intelligas inæqualitatem, quæ omnibus febribus est communis. Est uero inæqualitas illa singularis, id est in uno pulsu, & in una parte arteriæ: cuius meminit Galenus cùm alias, tum in libro ad Glauconem, capite de Signis quartane. Commune enim est omnibus febribus, inquit, ut principium multo uelocius, finemq; motus habent, quam medium: cuius causas recensuimus libro tertio, capite undecimo, ubi de imparibus citatis uerba fecimus. Quod si probè meministi eorum quæ illuc dicta sunt, facile coniūcties, hoc symptoma nō reperiri in omnib. phreneticis: sed in illis duntaxat, in quibus nō usq; adeò sunt parui pulsus, et nō debiles. Alioquin in tres diuersas partes motū partiri non posses. Rarò aut̄ accidit, ut phrenetici magnos habeat pulsus: quare et hoc symptoma rarò in phreneticis reperitur. Nolo aut̄ subticere hoc loco quod

quod ego animaduerto in Galeno, ubi agit de pulsu phreneticorū, stylū Galeni ibi non esse, nec scriptū illud mineruā ipsius redolere: sed forsitan Archigenis, quod Galenus ad uerbū in librū suū inseruit.

Quod uibratus sit in phreneticis pulsus, mirum non est: cum id cōmune sit inflammationibus, p̄cipue partium neruofarū, ut antea docuimus.

PHRENETIDIS LETHAR-  
gicæ pulsus. Cap. 26.

P Hrenetis lethargica habet celerem, crebrum, “  
minus uehementem, latum, breuem. “

Est morbus sapiens naturā phreneticis et lethari, quem Arabes subeth ashari, id est dormitionem uigilantē uocant. Græci nomine proprio carrent. rem tamen ipsam definiunt, apostema esse mixtū ex bile & phlegmate. Quod si bilis p̄apollet, pulsus et alia symptomata phreneticis sunt similiora: si uero phlegma superet, lethargicis. Quod si æqua cōstet proportione humor uterq; mixta erūt symptomata: coniuēt oculis, somnolēti sunt, sterunt, ac rursus oculos aperiūt, fixosq; diutissimē in re una detinēt: difficulter loquuntur, nec ad re. His pulsus sunt celeres et crebri, propter febrē: lati uero, propter madētes arteriarū tunicas: breues aut, quoniā quantū additur latitudini, tantū longitudine detrahitur. quare breuitas est propter latitudinem sui, ut uerbis utar A uicennæ.

Catale-

Sphygmicæ artis  
CATALEPTICORVM PVLSVS.  
Cap. 27.

» **C**atochi tales habent pulsus, quales lethargici: sed non tam debiles, nec molles, nec

» inæquales.

Catocham, alij catalepsim, recentiores medici congelationem uocant: pulsus in ea magnitudine, tarditate & raritate non differunt à lethargicis. Sed quia non tam affecta facultas est, nec tam onerata: proinde inæqualitatem lethargicorum non asequitur, nec languiditatem. Mollicie etiam carrent catochi. non tantum enim madent arteriarum tunice in ipsis, quantum in lethargicis: in quibus nedum arteriæ, sed totius corporis habitus laxatur, & tumet.

CONVVLSORVM PVLSVS.

Cap. 28.

» **C**onvulsorum arteriæ substantia seu corpus

» tendit singulari quodam modo, & coit

» undiquaq; seq; colligit, non quod sit constrictum

» ab aliquo, nec contractu, quale fit in febribus, præ-

» sertim in earum accessionibus: nec quod sit durum

» repugnans distensioni, ut fit in morbis chroni-

» cis, præsertim si uiscus aliquod male sit affectum:

» sed est ueluti corpus cauum & inane, neruosum,

» quale est intestinum, dum ab utroq; fine tenditur.

» Est uero inæqualis multifariam, nam sursum &

deorsum

deorsum transfertur arteria, ueluti chorda, dum tediatur et remittitur: & haec est in situ arteriae inaequa litas. Distensio etiam, et contractio, exacte non repraesentatur, sed uibratio magis est similis. exilit enim supra, & rursus desilit intro, quod nec discrimina tim facit: sed uno eodemque tempore, una eius pars supra fertur, seu exilit, alia intro fertur, ueluti si a quopiam retraheretur: alia celeriter, alia tarder. Apparet autem magnus esse, & uehemens: qui qui de reuera non est parvus, nec debilis: non tam ita ut appareat uehemens est, nec ita magnus. Decipit enim ictus, qui existimatur esse uehemens, tum propter duriciem ex tensione, tum propter uibrationem, que exilire facit arteriam: unde & altior esse uidetur, efficitque ueluti strepitum quedam ad tactum.

Neminem qui in arte sphygmica sit probè exercitatus, later hic pulsus, nulli enim est similis tensione in utramque partem, nec uibratione commixta cum convulsione. Quod si accedat ad haec pulsus comaticorum, quos soporosos uulgo vocant (ut plerumque accidit) difficulter discernuntur commixti motus: nec mixtos cognoscet, nisi qui in utroque singillatum cognoscendo bene fuerit exercitatus. Omnia autem horum que de pulsu conuulsorum dicuntur, cause non sunt obscuræ: dummodo memineris, quod ante diximus, omnium membrorum principaliū, que Græci αρχας, id est principia

## Sphygmicæ artis

cipia uocant, mutuum esse consensem, & commu-  
nem in patiendo sympathiam. Ea tamen quæ ab i-  
nitio dicta sunt in Aphorismo, paulo uidentur esse  
difficiliora: sed frange nucem (ut dicitur in prouer-  
bio) nucleus perfacile inuenies. Describitur ima-  
go arteriæ tensæ, eorum qui spasmo sunt correpti:  
totius corporis, aut maioris partis. Collecta siquidem  
est arteria tunc in seipsam, & gracilis effici-  
tur: non est tamen gracilitas eius talis, qualis solet  
fieri ex compressione apostematum, uel humorum  
qui obsident arterias. nec qualis solet fieri initio  
paroxysmorum febrilium: nam & tum arteria gra-  
ciliores apparent, eo quod cōtrabūtur plus quam  
distenduntur. Nec qualis fit in duris arterijs, que  
exaruerunt ob diuturnitatem morbi, & extenua-  
tæ sunt uicio affectionis malæ uiscerum. Cōmunes  
enim hi & uulgati sunt gracilium arteriarum tres  
modi, cōpressione, contractione, exsiccatione. Sed  
est illa gracilitas talis, qualis est in intestini uacui,  
si quis altera manu huc, altera illuc ipsum trahat  
uiciissim, seu alternatim.

PARALYTICORVM, EPILEPTI-  
corum, apoplepticorum pulsus.

Cap. 29.

**P**Aralyticoru[m] parui, tardi, rari, languidi, mol-  
les: quibusdam & crebri, inæquales, sed non-  
nihil inordinatè intermitentes.

Quia

Quia in paralyticis usus est diminutus ex morbo frigido, propterea paruos creat tardos, & raros pulsus. Infirma uero facultas, languidos: humectatio arteriarum, molles. Quod si supra modum lagueat facultas, & uigeat paralysis, prodibunt nimis parui: & quia nimis parui, propterea crebri. Docuimus enim antea, paruitati ultra modum insigni & excellenti adiuncta solere esse crebritatem. Inaequales sunt a grauata facultate. Intermittentes tam ex grauata, quam ex instrumentorum obstructione.

In paruis epilepsijs et apoplexijs, præter tensionem, si conuelluntur ægroti, nulla adest in pulsu immutatio. In magnis uero, præter hoc quod multum tenuuntur, etiam sunt minores, tardi, rari, languidi, & inaequales. In maximis uero parui, crebri, languidi.

Cause omnium horum patent ijs qui prioræ didicerunt. Si enim conuelluntur epileptici, necessariò pulsus habent tensos ad utramque partem: id est, à pollice ægroti, & ad pollicem. Quod si non tantum conuellantur, sed etiam eorum facultas opprimatur, erunt tum inaequales, inordinati. Quod si supra modum uigeat morbus, ut facultatem & opprimat & resoluat: prodibunt parui, celeres, crebri, languidi. Porro que de epilepsia dicuntur, tanto magis in apoplexia insignia comperiuntur, quanto hic morbus grauior est illo.

Angina

» **A**nginæ pulsus est, ut cæterarum inflammatio-  
» nrum.  
» Sed undosus fit, si ad peripneumoniam tendit;  
» conuulsius uero, si ad spasmum: agentis uero ani-  
» mam, creber, & inæqualis.

Quis sit pulsus inflammationibus communis,  
notti ex ijs quæ antea diximus. tenditur enim plus  
minus, secundum affecti membri, & humoris afflu-  
entis diuersitatem. paruus est, celer, creber, plus  
minus, secundum uaria inflammationis tempora.  
Clara sunt ominia, quæ in aphorismi dicuntur prin-  
cipio. Nec illud nimis obscurum est, quod de angina  
ad peripneumoniam tendente dicitur, si modo  
reuoaueris in animum aphorismum illū Hippo-  
cratis: Quicunq; ab angina liberantur, & ipsis ad  
pulmonem uertitur, in septem diebus pereunt: si ue-  
ro has effugerint, suppurantur. Cui similis est ille  
libro tertio Prognosticōn, qui in plurimis Latinis  
codicibus desideratur. οὐδὲ εἰς τοῦ πνοήματος ἔγ-  
πτου, παρερχόμενοι, λαὶ εἰποῦσι εἰς αὐτέων γι-  
νούσους τὰ πόνημα. id est: Si ad pulmonem angina  
se uertat, dementiam excitabit, & empycet, id est;  
purulenti ut plurimum fiant. Quia igitur angina  
sepe in peripneumoniam uergit, non mirum est, si un-  
dosos tum faciat, et magnos pulsus. At uero si mem-  
branose

branosæ & neruosæ colli partes, plus ab angina afficiantur, quām carnosæ (qualem describit Hippocrates illo aphorismo: Si à febre habitu collū subito inuertatur, & uix potest deuorare sine ullo tumore, lethale) conuulsuus tum erit pulsus: nam spasmus subsequitur, quem Latini conuulsio- nem uocant. magna enim est ijs partibus societas cum spinali medulla, & quæ ipsam ambiunt membranis, nerorum & ligamentorum communica- tione: hæc uero dum tenduntur, compatitur prin- cipium, id est cerebrum.

Illud porro est in ambiguo, quod tradit Galenus, ubi agit de pulsu anginæ, inquiens: Quicunq; ex illis uehementer suffocantur, paruum hi habent & rarum pulsus. Neq; enim est uerisimile, raro fieri in angina pulsus, quum præfocatio febrem ex- citet, crebritatemq; in adminiculum exigat: ut in- terim de inflammatione, qui etiam calidus morbus est cum angina, crebritatemq; exigit, taceam. Mihi uero optime et uerissime uidetur esse locutus Galenus, si quis uerba eius probè expendat. Præfocatio enim fit, dum prohibetur & occluditur calor innatus, ut nullam queat habere communicatio- nem cum circumfuso aere, qui sufflat, flabellat, seu uentilat ipsum. Communicat autem cordis calor cum ambiente aere, maxime per gutturis meatum, qui dicit ad tracheam arteriam. Huc si occluseris,

priuabis calorem uentilatione, & extingues. Quæ admodum & externa flamma igit̄ facile perit, si cucurbitula, aut alio quopiam factili uase eam occluens, ambientem aerem arceas. In angina autem aliquando fit p̄euocatio uehemens, quæ obturat totum ferè meatum. h̄ec priuatione uentilationis calorem diminuit, postea extinguit subito. Ali quando fit suffocatio non ultra modum uehemens, quæ magnam partem meatus relinquit liberam. h̄ec dum in corpus incidit impurum, prohibens expurgationem fuliginosorum excrementorum, febrem excitat. Vehemens igit̄ suffocatio, quia extinguit calorem innatum, diminuit usum, meritò paruum & rarum efficit pulsus. Sed quæ modica est suffocatio, quia per accidens usum auget, febrem proritando, crebriores prouocat pulsus. Angina uero agentis iam animam hominis, pulsus est creber, & inæqualis. Creber quidem ob auctum usum, id est, defectum spirituum: inæqualis autem, ob affectam facultatem. Facultas enim morti proxima, ad similitudinem feræ seu belluae, dum inueniendo prosternitur & occiditur, subito sepe defixit, sepe cupit resistere: quorum alterum intermittentem ( dum defixit scilicet ) alterum efficit crebrum & rarum pulsus, dum cupit resistere adhuc. Ambo inæqualem in diuersis generibus, maxime uero in genere crebritatis, et raritatis. Et hac est

est uera Galeni sententia, quæ apud ipsum habetur  
obscura.

## ORTHOPNOEAE PVL-

sus. Cap. 31.

**I**Næquales, inordinatos, intermitentes, deficien-  
tes habent pulsus, acutæ orthopnoæ: & quan-  
to seuiores sunt, tanto magis languidos, & tardos:  
ad extreum nimis crebros, & languidos.

Orthopnoæ est illa difficultatis spirandi speciæ  
per quam suffocantur iacentes, & se ægre recu-  
perant, erecti thorace, & ceruice: ac inde ortho-  
pnoici, id est recte spirantes appellantur. Fit autem  
orthopnoæ ex angustia cannalium, & instrumen-  
torum, per quæ datur transitus aeri ad cor: atque  
ob id necesse est, ut rectissim orthopnoici thorace et  
ceruice, non paruo ipsis accidente tali ex figura  
auxilio. Latiora enim, & magis patentia fiant re-  
spirationis instrumenta omnia, propterea quod  
obliqua non sint, & in se ipsa minus collabi per-  
mittuntur. Plurimi autem sunt modi, quibus angua-  
sta fiant respirandi organa. Nam qui in uentre,  
iocinore, liene, crassiore intestino, & coniugibus  
partibus præter naturam consistunt tumores;  
repletiones, ob septi transuersi angustiam ortho-  
pnoam efficiunt. Quibus etiam thoracis cavitas,  
aut uasa in pulmone infarciuntur superfluis humo-  
ribus, uel cinguntur tumoribus. si id supra mo-

dum fiat, redduntur orthopnoici. Sic & quibus trachea arteria aut larynx occupatur, ut sit in catharisis abundantibus, in guttulis inflammationibus. Hippocrates libro tertio Prognosticon de angina uerba faciens: Plurimum, inquit, tales anginæ dolorum faciunt, & orthopnoam. In summa, plurimis morbis accidit hoc genus symptomatis, lesa scilicet respiratio: hanc tamen peculiariter uocant orthopnoam, quæ sit ex crassi, lentisq; humoribus, in asperijs pulmonum arterijs collectis, cuius paroxysmi seu exacerbationes sunt acute, licet ipse morbus sit chronicus, quem Asthma uocant.

Non solū igitur in hac orthopnoea, quæ in chronico sit morbo, in asthmate scilicet, cuius paroxysmi sunt ob seua accidentia acuti, sicut et epilepsie, pulsus fiunt inæquales, inordinati: sed & in alijs omnibus quæcunque multum affligunt. Ratio est, quoniam in omnibus adsunt uel obstructiones, uel compressiones, uel plenitudines. Quod si ad hæc & facultas nimium deiiciatur, prodeunt intermitentes & deficientes. Quod uero in fine aphorismi dicitur, Ad extreum nimis crebros, & languidos: hoc, instante iam mortis tempore, uerum est. tunc enim deficiunt animales spiritus, quos natura sua diose conatur acquirere. Et quia facultas imbecilla, gratia adtrahendæ materiæ, generandis spiritibus aptæ, non ualeat magnam facere, nec celerem distensionem,

sionem, crebritate nititur comp̄sare defectum: sed paulo p̄st, cum sedulitatis, seu crebritatis omnem conatum exhibuit, exeruitq; uim suam omnem, suc cumbit penitus, & extinguitur. Non possum aut̄ silentio pr̄terire regulam scitu dignam, quam dedit Galenus eo loco, ubi agit de pulsu orthopnoe: ταχεῖς μὲν ἀλέποτε, διεκ τέλος αὔρωγίαν τὸν άναμενόντα: id est, Celeres pulsus ex imbecilla facultate fiunt nunquam. Quae uera est, in magno lapsu uirtutis. Comperimus enim s̄pius & nos ipsi in orthopnoicis, non tantum crebros, sed etiam celeriores pulsus, dum scilicet facultas non supra modum languebat: usus uero, seu neceſſitas urgebat. Et ipse etiam Galenus in exercitatis supramodum, & balneo debilitatis, docuit fieri celeres pulsus, licet sint languidi. Quo modo scilicet & nos etiam, dum imbecilliores sumus, sed neceſſitate quam compellimur, magnos passus pedibus facere nequimus: sed quoad possimus, progressum nostrum acceleramus, & sedulo continuamus. Eodem modo facultas quae arterias mouet, dum adigitur neceſſitate, & est imbecillior paulo, magnas distensiones exequi non potest, sed aliquanto celeriores, propter urgentem neceſſitatem: ac tanto crebrieres, quanto distensiones sunt minores. Secus est in magno uirtutis defectu. tum enim mirum non est, paruos, tardos, creberrimos fieri pulsus: si modò

SVFFOCATIONIS VTERI  
pulsus. Cap. 32.

**S**VFFOCATIONIS UTERI PULSUS SUNT PARUI, TARDI, RA-  
SRUM, INEQUALES, INORDINATI, NON NUNQUAM TENSI,  
& DEFICIENTES, & ASPHYXIA.

Morbus qui à Græcis ὑποπνία τυψίς dicitur, à Latinis suffocatio uteri, sed melius suffocatio ex u-  
tero, uel suffocatio uterina uocatur (aufert enim  
respirationem) non est, ut Paulus Aegineta defi-  
nit, & secundum eum Leonardus Fuchsius, uteri  
ad superiora retractio. Sæpenumerò enim, utero in  
sua sede manente, nihilominus mulieres uteri suffo-  
catione corripiuntur, ut docet Galenus in libro de  
Locis affectis, & ipsa experientia. Sed est inten-  
peries uteri cum materia uenenosa, cuius maligni-  
tas communicatur cerebro & cordi, siue id quali-  
tate sola fiat, siue cum uaporibus sursum elatis.  
Causæ autem sunt huius mali, uel menstrua reten-  
ta & corrupta, uel sperma retentum & corru-  
ptum, uel utrumq. Interdum etiam excrementum  
ex debili coctione uteri relicturn, & corruptum; ut  
in refrigerato utero, uel leso in diffcili aliquo ab-  
arsu. Non eo tamen inficias, quod aliquando uterus  
retrahatur in hoc morbo, sursum uel aliorum, ad  
hoc

hoc uel alterum latus: id quod accidit ob tensionem uteri. Tenditur autem uterus, dum uasa eius replētur in hac uel illa parte: ut solet fieri non in hoc tantum morbo, sed in alijs compluribus. Sed quod necessariō omni uteri suffocationi retractio adſit, hoc rationi & experientiæ repugnat.

Pulsus in suffocatione uteri pro diuersitate symptomatum uario modo se habet. Si enim materia in utero sit crassa, frigida, copiosa, & acris ex putrefactione, accedit spasmus, & tum pulsus fiunt tensi. Si uerò fit magis melancholica, mœstitudinem inducit, & animi desfectionem: erunt tum pulsus parui, tardi, rari. Quoniam enim est morbus frigidus, merito sunt tales pulsus, ac inæquales et inordinationes ob aggrauationem. Quod si nimium ſeuiat morbus, proferet minimos, crebros, & deficientes pulsus. Atrocitate uerò eius perseverante, superuenit & pulsuum abolitio: quam asphyxiā uocari à Græcis, antea docuimus.

STOMACHICORVM PVL=  
sus. Cap. 33.

S Tomachici ex inflammatione tales pulsus ha= <sup>ce</sup>  
bent, quales fiunt et alijs partib. inflammatis. <sup>cc</sup>  
In uellicatiōe uerò, anxietate, ſingultu, uomitu, nau= <sup>cc</sup>  
ſea, fastidio, dolore uetriculi, parui fiunt, celeriores, <sup>cc</sup>  
crebri, languidi, postea uermiculantes. In aggraua= <sup>cc</sup>  
tione uerò ſola, fiunt parui, tardi, rari, languidi, in= <sup>cc</sup>  
equales.

Stomachicos uocamus, quibus os uentriculi est malè affectum. nam pars hæc stomachus antiquitus, uocatur: quāuis interdum & totum uentriculum, quem οὐοίαινεν Græci uocant, stomachum appellemus. Dum igitur uel ipse uentriculus, uel os ipsius phlegmone seu inflammatione corripitur, tensos et duros pulsus edet, sicut et aliæ neruose partes, dum inflammantur. Differunt tamen secundum magis & minus. Nunquam enim tam durus pulsus est ex inflammatione stomachi aut uentriculi, ut est ex neruosa diaphragmatis parte, aut pleura, si inflamatione laborent. Quoniam nerui in ore uentriculi moliores sunt multo, & substantia uentriculi carnosa est, nec adeò tensilis.

Stomachici etiam sunt, quibus ex quacunq; causa non solum ex inflammatione, os uentriculi, uel ipse etiam uentriculus male afficitur. Intemperies stomachi, calidæ, frigidæ, humidæ, siccæ, & ex ijs compositæ, ita immutant pulsus, prout quæq; illarum synæcticas causas alterat uis sua, uel symptomata. Quæcunq; igitur facultatem resoluunt, ut sunt intemperies cum uellicatione, anxietate, singultu, uomitu, nausea, fastidio, dolore, paruos edunt & celeriores pulsus, crebros & languidos. Hæc enim symptomata irritant, exagitantq; facultatem: a tanto magis, si os uentriculi afficerint, quod propter eximum sensum citius defatigat facultatem.

Quod

Quod si hæc ipsa symptomata diu perseverent, et nimium sœuant, accient & uermiculatèm pulsū. nam hunc nimium languentis facultatis comitem esse docuimus, huius libri capite sedecimo.

Vellicationem stomachi, alij morsum, alij mortificationem uocant: Hippocrates ναρθυμόν, id est cordis morsum, in Aphorismis nuncupat.

Anxietas uerò est, quod Græci ἀλυσιὸν uocant: quo nomine & Hippocrates sèpius utitur. Latini alio nomine inquietudinem nominant. Hippocrates in Aphorismo, halycen etiam appellat. Est uerò molestia illa, in qua ægroti diu quiescere nequeunt, sed iactant se & conflictantur diuerso gestu & situ, alium ex alio mutantes, ob implacandam sensationem stomachi. Contingit etiam sèpè numero anxiòs fieri homines ob debilitatem & dolores. Miror autem, cur interpres Galeni Latinus ἀλυσιὸν languorem transtulerit, quum languor longè aliud sit quam ἀλυσιός, id est anxietas.

Fastidium est cibi abominatio. Græci ἀνορεξίαν uocant.

Ne mireris autem, quod diximus, celeriores ediri in ijs affectibus pulsus, licet languida sit facultas. ostendimus enim antea, etiam nos ipsos, licet imbecilliores interdum simus, dum quipiam nos urget & cogit, paruos facere gressus: sed tamen celeres, quoad possumus, & continuos.

Aggrauatio, seu oneratio uentriculi fit, uel à ci-  
bis superfluis, nulla insigni qualitate præditis, sed  
sola copia molestis: uel ab humorib. qui mordaces  
non sunt, affluunt uero à toto corpore, uel aliqua  
parte, & ut plurimum à cerebro, uel hepate. Quo-  
niā igitur affectio est frigida, & facultas graua-  
ta, nimirum quod parui, tardi, rari, languidi, et in-  
æquales prodeunt pulsus, qui de ceperant olim me-  
dicos Antonini Cæsarib, quorum turpem errorem  
Galenus acerstus detexit. Nō enim febrilis acces-  
sionis initium significare eos pulsus in Cæsare, sed  
potius grauatum uentriculum à cibo frigido, an-  
tequam fuisset ad intestina excretus, declaravit.  
Quod & curatio subsecuta uerum fuisse mani-  
festauit. Sed de ijs melius scribit Galenus in libello de  
Præcognitione ad Posthumum.

Illud porro quod scribit Galenus de pulsu stoma-  
chorum, pulsus huiusmodi paruos, tardos, raros,  
languidos, inæquales, peruenire ultimò ad inæqua-  
litatē quandā, in qua in multis arteriæ locis pulsus  
apparet perforatus seu pertusus, & ut uerbis Græ-  
cis utar, ὡς εἰς ποναὶ τετράφθλιτρὰ σῶμα αἱ-  
τησίαι, & sentit tactus in distensione, ueluti arenā  
sibi impingentē, seu obstantē, obscurè: dictū est &  
impropriè, ne dicā ridicule. Nec credo Galeni hoc  
esse commentum, sed Archigenis, à quo ipse pluri-  
ma ad libros suos de Pulsibus, ut ego coniicio, de-  
cerpfit,

serpsit, & trastulit. Talia uero Archigenis de pulsibus commenta, ueluti sphyngis anigmata, testatur Galenus scribens super tertium Prognosticon Hippocratis, se subterfugisse de industria: sed cur hoc non contempserit, scribens ad tyrones, magna me tecum admiratio. Quae enim est quæso ea pulsus differentia, quæ perforatum & arenosum uocat? Quod si reuera est, cur nusquam eam expressit, ubi pulsuum differentias recensuit, & conscripsit? Non erat uero silentio prætercunda, propterea quod grauatio stomachi, non solù & grotis, sed etiā sanis hominib. sepiissime accidat, & ea ratione pulsus huiusmodi cognitu essent maximè necessarij. hos uero compirimus sepius in hominibus cibo potuq; ingurgitatis, ac & grotis etiam quam plurimis, quorum erat supra modum onerati uentriculi, & stomachus oppressus, pulsus initio fuisse paruos, tardos, raros, laggidos, inæquales: postea uero inualescēte malo, mimimos & languidissimos, deficiētes et asphyxiā.

## HYDROPICORVM PULSVS.

Cap. 34.

- A Scites pulsus est paruus, crebrior, subdurus. ee  
cum tensione. ee  
Tympanites longior, celerior, creber, non imbecil  
lus, subdurus cum tensione. ee  
Anasarcae latior, mollis, undosus. ee  
Indubitatū est apud oēs artis medice scriptores La  
timos

tinos & Græcos, singulas hydropis species ex debili hepate enasci: quod quia sanguificationis officio sufficere non potest, diuersos à sanguine gignit humores. Non propterea tamen censemū est, in omni hydrope morbum esse intemperiem hepatis frigidam, ut quidā existimant. Nam præter hanc omnīs ægritudo hepatis, siue propria, siue aliudē communicata, cuiuscunq; generis, siue sit intemperies calida, siue frigida, humida, sicca, & ex ijs compositæ, cum materia & sine materia, mala compositione, paruitas, obstrūctio, solutio continuū, tumores frigidi, calidi, molles, duri, febres chronicæ, acutæ, mala aliunde deriuata & communicata, utpote à pulmone, liene, uentriculo, uenis mesaraicis, re nibus, uesica, utero, intestinis, aut à toto corpore, solent defraudare & depauperare hepar innato calore, & vim eius concoctrīcē infringere: quare actio eius redditur corrupta, reddens loco sanguinis succos longè alienos, aquosos in ascite, flatusos in tympanite, phlegmaticos albos in anasarca. Cur autem aliqui singularum hydropum dixerint esse causam, intemperiem hepatis frigidā, nescio: sed haec tamen, ut opinor, est eorū erroris occasio, quod in omni hydrope, materia quæ ex morbo cōgeritur, est frigida. Nec ego infior, causam materialē in omni hydropico tumore esse frigidam: non autem efficientem, quæ est in hepate.

Ascites

Ascites & tympanites, quia mole congestæ materiæ discendunt partes uentrī insinuantes, proinde tensum, & ex tensione durum pulsū efficiunt, ac crebrum: magis tamen crebrū efficit ascites, ob imbecilliorē facultatē, & auctū usum, præsertim si febris adsit. Paruos etiam utraq; hydrops habet pulsū, tum propter imbecillam facultatē, tū ob materiæ congestæ frigiditatē. Longiore est in tympanite, propter maciē corporis: celerior etiā, & non adeo imbecillus, quoniam facultas non adeo deprimitur, sicut in ascite. Anasarcae latior est, mollis et undosus, quoniam arteriarum tunicæ nimiiū madent: hāc uero causam esse talium pulsuum, ostendimus cum alias, tum libri tertij capite septimo.

Ascites & tympanites, citra uiscerū inflamationem uel duriciem, non faciunt sua sponte pulsū tensum, ut uidere est in hydropibus, quæ exoriuntur propter haemorrhoidem, aut menstruorum immodicam effluxionem, aut insolitam suppressionem, aut ex alijs euacuationibus superfluis: nisi ad magnum tumorem abdomen adcollatur, & membra corporis emacentur. tum enim tenditur pulsus, ut Aphorismus docet.

Anasarcae pulsus sunt latiores, molles, undosi, ut antea diximus: sed si induruerint scirrho quedam uiscera, secus erit. Nam hoc semper præ oculis habere oportet, sint ne morbi simplices & soli,

## 270 Sphygmicæ artis

soli, an uero plures. Dissēsio est inter medicos Græcos et Arabes, quæ nam hydrops sit periculo-  
sissima. Aliqui aiunt esse tympanitē, ut Aetius: ali-  
qui ascitē, ut Auicenna, & quidā eius interpretes.  
sed discuti hæc facile potest controuersia, ex arte  
Sphygmica. Si enim ascites inter hydroperas omnes  
minimū habet, et imbecillimū pulsū, ut cōstat ex  
Aphorismo: iure deterrima omniū censenda est, dū  
modō cætera sint paria. id est, si hæc ex morbo non  
sit acuto, dū altera est ex chronicō: si hæc tā magna  
fit, ut altera: si hæc non alia habeat symptomata, q̄  
altera: si hæc non sit in iuuene, illa in sene.

## GALLICI MORBI PULSVS.

Cap. 35.

” **M**Orbi Gallici inueterati pulsus sunt para-  
ui, tardiores, rariores, languidi.

Morbū Gallicū alij morbum Neapolitanū, alij scabiē Hispānicā, alij elephantiasim, sed impro-  
priē, sicut & lichenē, seu impetiginē: alij, & men-  
tagrā, & saphatū uocant. Quemadmodū aut no-  
mine discrepat multi, ita & definitione. Alij enim  
solutā continuitatē, hunc morbū esse definiūt, ut  
Manardus in Epistolis: alij intēperič. sed utrique,  
meo iudicio, laterē lauant. Quū enim hic morbus  
non sit unus simplex, sed ex plurib. simplicibus, u-  
nū illi genus subalternū dari non potest, nec defini-  
tio

tio una, sed descriptio potius. In descriptione uero eius non tantum spectanda medico forma est, quae est tum intemperies, tum mala compositio, tum solutio continui, quantu[m] materia eius, & seminaria. Nam causas eius effectrices, quae ab initio fuerunt planitaru[m] superioru[m] insolite coniunctiones, & deterri me, nunc uero sunt homines ipsi, q[uo]d contagione alias alij autor est eius mali, sciens, uolensq[ue] prætereo.

Materia porro eius morbi est ut plurimum phlegma crassum, uiscidum, sordidum: id quod indicant pustulae late, tubera crassa, ueluti gummata, dolores chronicci, fluxus phlegmatici, qui infectis ferro quibusdam ægrotorum corporibus apparuerunt: ueluti mucci quidam lenti & tenaces, quibus nerui, membranae & musculi oblinuntur. Inest autem huic materiae, præter iam recensitas qualitates, & alia quædam qualitas, de numero earum quæ in tertio ordine reponuntur, quas Græci ærōs mātrēs dūvāmēris, id est, incorporeas seu spiritales efficacias uocat. Philosophi uero nostri uirtuales et specificas qualitates nuncupant: Græci etiam id est tñ̄ses ærōp̄t̄s, id est occultas proprietates appellant. quæ reuera in materia morbi Gallici uenofa est, et fraudulēta, demolīēs et labefactans facultates mēbrorū, nonnunquā & substantiā eorū corrumpt̄s, rebellēm̄q[ue] belluā faciens ad medicamēta, quæ primis uel secūdis qualitatib[us] operātur, ut ne cesset

## 272 Sphygmicæ artis

ceſſe fit adhibere alexipharmacæ, seu amuleta: inter quæ præcipuum est lignum sanctum, seu guiacum, china deinde Indica, sparta parilla, & hydrargyrum.

Seminaria, per que hic morbus contagiosus est, sunt exigua corpuscula, ueluti atomi (nō tam Epicurei) quæ exhalant & effruntur simul cum uaporibus, & humorem phlegmaticum, propter sympathiam, facile inficiunt, ac alia ex se in analogo hoc humore procreant. De qua re Hieronymus Fracastorius Veronensis pulchrè disserit, in libro de Sympathia & antipathia rerum, & passim in libris tribus de Morbis contagiosis: quem risit Ioannes Baptista Montanus in sua super Quartam partem primi libri Auicennæ metaphrasi, doctrinam Fracastorij absurdâ Epicureorum figmenta, & noua quædam commenta eſſe iudicans. Quasi uero non uetera hæc ſint dogmata, & equidem uerißima: quorum etiam Galenus meminit, ubi agit de febrē pestilentiali, in libro de Differentijs febriliū. docet enim, in aere ambiente, nonnulla pestilentiae ſemina contineri: ac ea quæ ab ipſo corpora continguntur, alia analoga eſſe, & apta infectioni, quæ multis excrementationis referta, ex ſeipſis ad corrumpendum ſunt paxata. Idem etiam ſenſit Hippocrates libro de Natura humana ſecundo, quum uote pypu denouigioru,

id

id est, morbidam excretionem aeri aliquando in-  
esse docet; quæ nihil aliud est, quia in morborum se-  
men, quod ex primis qualitatibus non constare, ne-  
que ex illis proficiunt, sed diuinum, id est occultum  
& admirabile quiddam esse, afferit lib. Prognost. i.

Percontati autem sunt me saepius artis Me-  
dicæ studiosi, cur morbus Gallicus nouus esse cen-  
seatur, quum omnia quæ in ipso conspi ciuntur,  
sint uetera? Nam colis, & totius habitus corporis  
crustos as pustulas, faucium praua hulcera, impe-  
tigines cutis, articulorum dolores, nocturnas rheu-  
matum accessiones, ossium nodos seu excrescentias,  
ut uocant, esse mala uetera, ueterum scriptorum  
monimenta declarant. Ego uero non propter hec  
quæ recensui, nec propter horum miscellaneam mul-  
titudinem, morbum Gallicum nouum esse respōdi:  
sed propter qualitatem eius nouam, & seminaria  
noua. Qualitas autem hec, ut antea docui, materiæ  
est, & seminum specifica, carens nomine proprio:  
estq; sensu nostro occulta, effectus tamen indicat  
quam praua sit & efficax.

Iis igitur probe perceptis, facile est intelligere,  
cur in morbo Gallico inueterato sint languidi pul-  
sus: nimirum quia facultas tum propter resolutos,  
tum propter aliena & mala qualitate occupatos  
spiritus, male habet, & est debilis. Paruus etiam est  
non solum propter hanc ipsam causam, sed etiam  
quia

quia usus est diminutus, ex succo frigidis, quæ etiam raritatis in pulsu causa est. Ostendimus autem antea, frigidum humorem, nempe phlegmaticum, pulsulum esse hydræ huius Lernæ. Quod si febricula accedit, ut sæpe fit, putrescente eodem phlegmate, crebriores tum erunt pulsus, & celeriores, si licebit per facultatem. Docuimus enim, facultatem nimis debilem non admittere celeritatem motus.

ICTERICORVM PVL-  
sus. Cap. 36.

„ **I**ctericorū pulsus est minor, non celer, creber, nō languidus, durior: sed si febris adsit, etiam celer.

Diximus antea, vim habere desiccandi, succum biliosum, ac indurandi. Quare tunc arteriarum quum sint perfuse huiusmodi succo, in morbo aequali, facile exsiccantur et indurescunt, & ineptæ redduntur ad distensionem: ac minores propterea efficiunt pulsus, nec celeres: & quia minores, nec celeres, idcirco crebros, ut necessitatibus satisfiat. Si autem absint febres ictericas, & uiscerum inflammations, eorumq; intemperies, debilis non erit eorum facultas. meatus enim ( quorum obstructio a originem facit ) uiscæ icterarie, non sunt magni momenti ad tuendas uitres. Quod si uel febres absint, uel intemperies, aut inflammationes uiscerū, pro ratione istorum pulsus immutabuntur.

Iam dicat quis, Quid refert ictericorum pulsus depingere, quum ad morbi cognitionem sufficiat uisus? nam flauum uel atrum colorem ipse solus discernit. Cui id responsum esto: compluriū nos morborum pulsus depingere, non ut ex pulsibus cognoscantur morbi tantummodo: sed ut medicus in complicatis aegritudinibus, sciens quas quilibet morbus pulsū differētias edat, non terreatur, nec se ipsum soletur, deceptus pulsib. morbo improprijs. Nam si incidas in ictericum quempiam sine apostemate uiscerum, ex sola bilis meatū obstrukione turpiter coloratū, pleuritide simul correptum, cuius tamen manifesta sint declinatiōis indicia, si nescias qui sint icterico p̄prijs pulsus, terrebit te duricies pulsus & paruitas, opinantē ex pleuritide h̄ec pficiisci, quam recrudescere ex pulsib. iudicabis: quū reuera īā declinet, defrueatq; id quod sputa ostendunt.

EORVM Q VI MEDICAMENTUM catharticon assumpserunt  
pulsus. Cap. 37

**Q**vi catharticon assumpserunt medicamen et  
tum, ij ante uomitum pulsus habent latum,  
rarem, tardiorēm, languidiorēm. Interea dum  
uomunt & uellicantur, inaequalem, inordinatum.  
Quum melius habere coeperint, ordinatum qui-  
dem, sed inaequalem, minus tamen quam antea.  
Vbi uero iam propè ad naturalem statū uenerint,

» æqualem, maiorem, & uchementiorem quam ante.  
» Quod si syncopa corripiuntur, singultus adsit, uel  
» anxietas, paruus ijs, & languidus, & inordinatus,  
» celer, & ualde creber adest. Qui autem opprimunt  
» tur stomacho, seu grauantur, paruus ijs, languidus  
» inæqualis, inordinatus, non tamen celer, nec cre-  
» ber, immò tardus est pulsus: apparet autem aliqua  
» tenus et undosus, et latus, et aliquādo modice tēsus.  
Hic est aphorismus, quem Græci antiqui medici de  
ijs promulgarunt, qui helleborum acceperunt. Ve-  
rus est tamen non tantum de ijs, sed de alijs omnib.  
qui præter helleborum, aliud quod uis medicamen-  
tum assumperunt, quod uim habet ad trahendi hu-  
mores, & purgandi corpora potentem: obscure au-  
tem est à Latino Galeni interprete traductus. Me-  
dicamenta cathartica pro ratione symptomatis, et  
affetu uentriculi pulsus immutant. Nam si uo-  
mitum, nauseam, aut uellicationem, syncopen, sin-  
gultum, anxietatem prouocant, tales edent pulsus,  
quales descripsimus, ubi de pulsibus stomachico-  
rum sermo erat. Quod si oppressio uentriculi, seu  
grauatio accidat, ex succis qui ad medicamentum  
confluent, tales quoq; prodibunt pulsus, quales do-  
cuimus fieri oppreso uentriculo.

Ante uomitū fit grauatus siue oppressus uen-  
trulus: quare pro ratione oppressionis efficiuntur  
pulsus parui, tardi, rari, languidi. hos enim docui-  
mus

## Liber quartus.

277

mus esse peculiares, sic affecto uentriculo. Latitatem fuent ob inanitas arterias spiritu & calore, quæ intrò ad uentriculum gratia adminiculi retrahuntur. Dum enim calor & spiritus ad exteriora membra prorumpunt, altos excitant pulsus: dum autem ad interiora, humiles cum latitudine: si concause præstò adsint, de quibus egimus, ubi causas & concusas latorum pulsuum descripsimus.

Quod autem in aphorismo dicitur, Dum redunt propè ad naturalem statum, maiorem & uehementiorem habent pulsum quam ante. Hoc uerum est, si natura bonis & utilibus non fuerit multum defraudata humoribus: sed ijs duntaxat qui erant molesti, iuxta illū Hippocratis aphorismum, quem In lib. A- quater repetiuit in libris suis: Si qualia oportet phoris. & purgari, purgentur, confert, et leviter ferunt, con- lib. 6. Epidemion.

## PRAEGNANTIVM PVLSVS.

Cap. 38.

**I**N prægnantibus pulsus fuent maiores, celeriores, crebriores, nonnunquam & languidiores.

Foetus in utero, tum gratia adtemperandi innati caloris, & uentilandi, tum uerò gratia generandorum spirituum, adtrahit arterijs, maxime uerò arteria umbilici, aerem qui suppeditatur ei, partim

t 3 ore

ore materno, partim arterijs in toto corpore ma-  
tris, træspirantibus. Est igitur duplex necessitas di-  
stensionis pulsus in prægnantibus, nedum contra-  
ctionis, ad trahunt enim aerem, tum suæ utilitatis er-  
gò, tum propter fœtum. Nostri autem, qui sunt pul-  
sus auctæ necessitatí, seu aucto usui familiares, dum  
facultas & instrumentum à naturali statu non re-  
cedunt.

Quanto igitur fœtus est maior, tanto plus nu-  
trimento & aere indiget, proptereaq; celeritas &  
crebritas pulsus in prægnante indies augescit: ma-  
gnitudo uero tantisper perseverat, quoad uires sue  
sint integræ. Quæ quoniam in plurimis foemina-  
bus adteruntur, resoluunturq; ob uarios affectus  
malos, qui prægnantes solent affligere: propterea  
postremis mensibus, qui sunt partui proximi, pul-  
sus in ipsis sicut minores, celeres, crebri, debiliores.

Non est igitur quod medicum terreat in præ-  
gnante foemina, fibre correpta, pulsus plus satis cre-  
bri, dummodò non sint languidi. Quandoquidem

præter febrem, quæ ei est contra naturam,  
adest etiam altera crebritatis cau-  
sa irreprehensibilis, nem-  
pe imprægnatio.

Sphygmicæ artis libri quarti finis.

SPHY-

S P H Y G M I C A E  
 ARTIS LIBER QVINTVS, IO-  
 sepho Struthio Posnani-  
 ense authore.

Prognosis quid sit, & prognostica, & qua-  
 lis eorum doctrina. Cap. i.



R Ognosis Græcè, Latine prouia-  
 dentia, est cognitio futurorum, an-  
 tequam sint: aut præsentium, &  
 præteriorum, antequam sensib.  
 subiiciantur. Inde prognostica,  
 gnomæ sunt, seu sententiæ, quæ sapiunt prouia-  
 dentiam, seu præcognitionem præteriorum,  
 præsentium & futurorum. Eius rei testis est Hip-  
 pocrates ijs uerbis: Medicum, mihi uidetur opti-  
 mum esse, prouidentiæ operam dare. Præcogno-  
 scens enim atq; prædicens coram ægris, præsentia,  
 præterita & futura, & quæcumq; prætermittunt  
 ægrotatæ exponēs, credetur magis cognoscere quæ  
 ad ægrotantes adtinent. quare audebunt homines,  
 seipsoſ medico committere. Hoc idē in libro Epide-  
 mion, paucioribus uerbis exprimit, inquiens: Præ-  
 terita dico, præsentia cognoscito, prædicto futu-  
 ra. Quum autem multa signa sint scitu necessaria,  
 quæ indicant res præsentes, præteritas & futuras,

quæ conscripsit Hippocrates in libris Prognosticōn, in libris Prædictionum, in libris de Morbis uulgaribus, ac etiam in Aphorismis: Galenus etiam in libris de Crisibus, & passim in commentarijs super Hippocratem. hæc tamen omnia incerta sunt, & medicum facile decipere possunt, nisi illis adiungas signa ex pulsibus: cum ijs enim clara & firma sunt presagia omnia. Consulte igitur suadet Galenus, scribens super tertium Prognosticōn Hippocratis, ad prognostica ueterū, addenda esse præcepta de pulsibus. hæc enim omnia prompto animo obseruando, facile prædicere possumus, quæ ab infirmis, ac eorum necessarijs non perspiciuntur.

Est uero duplex doctrina de prognosi, seu pruidentia ex pulsibus. Una est secundum genera pulsuū, dum docemur quid quilibet pulsus singulorū generum significet: altera secundum loca, quæ docet nos, quem pulsum edere solet quilibet locus affectus. Præstat igitur, utriusq; peritum esse & gnarum medicum. Ille enim uerissimus est futurus uates, qui in utraq; hac prouidentia ex pulsibus doctrina diligenter fuerit exercitatus.

Similis erat ac gemina, apud priscos medicos etiam, de medicamentis doctrina. Nō satis enim erat illis, docere uires medicamentorum secundum genera ipsorum, quam ipsi narræ yoci nuncuparūt: quā Galenus libris undecim de Medicamentis simplicib.

septem

septem de Cōpositis nātūrā yēnū complexus est: nisi etiam alteram adiungerent, quae docet, quam quilibet locus affectus medicinam exigat. eam ipsi nātūrā tōrōs, id est, secundum loca appellant, quam Galenus libris decem sc̄orsim comprehendit. Nostra autem tempestate, quia refrixit feruor ad studia, nec h̄ec, nec illa doctrina strenuos habet discipulos, nec multos praeceptores. Sed quid oberit, utramq; hanc de prognosticis pulsuum doctrinam nos, quanto maiore possumus compendio conscribere, in gratiam medicorum, non omnium ( pigros enim uentreſ, & rustica ingenia, elatas mentes, nihil moramur ) sed illorum tantum, qui candido animo accipiunt, dum ipsis salubria & uera offeruntur dogmata. Primo autem loco exordiemur doctrinam prognoseos, seu prouidentiæ, secundū genera: postea a uero & alteram, secundū loca affecta. PRIMI GENERIS PVLSVVM DIF-ferentiæ quid significant, Cap. 2.

M Agnum pulsum docuimus antea, peculia-rem eſſe robustæ facultati, usui urgenter, mollitudini instrumenti. Quo nā igitur pacto, dū cū offendierimus in quopiā homine, dijudicare poterimus? num ex una iſtarū caſarū, nū ex duab. et quibus, nū ex tribus exortus sit: hoc modo ſc̄ilicet. Ante omnia reuocāda eſt tibi in memoria pulsus magni dignotio, de qua lib. ſecūdo egimus. Nā ma-

gnum pulsum dicimus, cōparatione uel ad quadratum, qui in corpore optime constitutionis reperiatur, uel ad naturalem uniuscuiusq; hominis. Priore comparatione utimur in sanis corporibus, secūda in alteratis & ægrotis. In utraq; autem pulsus magnus, si ex robore facultatis proficiscitur, est magnus simul & uehemens: si ex mollicie instrumēti, est magnus simul et mollis: si ex aucto usu, est qdē magnus, sed caret uehementia & mollicie. Quū igitur repereris magnum pulsum ex aucto usu enasci ea significatione, quod neq; est uehementis, neq; mollis: uolueris autē scire, quam multū usus sit auctus, id est, quam multū calor increuerit, aut quam multi spiritus animales sint deleti( nā bos duos docuimus aucti usus esse modos ) expēdas, num solius magnitudinis sit factū incrementū, an uero simul et celeritatis et crebritatis. reducasq; in animū preceptū illud, seu regulā, quā circa pulsus familiares obseruādam, libro tertio edidimus: Auctus est usus, dū sola magnitudo pulsus præpollet: auctior, dum pollet magnitudo simul et celeritas: auctissimus, dū magnitudo simul, & celeritas, & crebritas.

Iis cognitis, si ambigas, ex intenso ne calore, an uero exhausto animali spiritu usus increuerit, quū duplice hunc aucti usus esse modum in prioribus libris statuerimus, haud magno id negotio exploabis, adhuc itis alijs ex arte medica indicijs. neq; e-

nim solis pulsibus est inhærendū: omniū præcepto  
rū artis meminisse oportet, circa singulos ægros.  
Calor tactū non fugit medici tangentis axillas, spina-  
nā, hypochondria, uolas: æger etiā calidū edit spiri-  
tum, de æstu conqueritur interdū, de siti etiam nō=  
nunquā. Animalis aut̄ spiritus exhaustionē præ-  
cesserunt, uel motus nimij, qui dissipant habitu spi-  
ritus substantiam: sudores immodi, effluxiones su-  
perfluæ, uel alia similia: quorū nihil potest latere  
medicū, in artis operibus diu probeq; exercitatū.

Quod si nondum acquiescas, sed nosse cupias  
que sint illa quæ calorem adauxerunt in corpore,  
secernas in primis sanos ab ægrotis. Sani enim  
aut ex temperamento calido nacti sunt id quic-  
quid est in ipsis caloris, aut ex usu rerum calidarū.  
Res autem calidas uoco, res sex non naturales. Sci-  
es autem, num ex temperamento: si calleas notas  
et signa temperamentorum, ac eorum pulsus, de  
quibus antea satis diximus. Res autem non natu-  
rales calefacientes, utpote aerem calidū, exercitia,  
cōmotiones humorū, cibos et potionē calidas, bal-  
nea, irā, et id genus alia, partim ex familiarib. earū  
rerum pulsibus, partim alijs coniecturis assequere.  
Vini potionē (exēpli gratia) ex oris redolentia, irā  
ex oculis toruis et uultu, balneū ex cutis nitore et  
mollicie. Sed quid opus est plura recēdere: quū suffi-  
ciat, ut uulgò dicitur, sapiēti pauca. Aegroti etiam

ex ijs quæ recensuimus, incalescere solent: sed si nibil horū egerint, nec assumpserint, magnus pulsus in ipsis morbum imesse calidū ostendet: cui adtestabitur perseverantia magnitudinis. Nā magnitudo pulsus, quæ ex usū rerū nō naturaliū calidaru obo ritur, momētanea est, & diu nō durat: quæ autē ex morbo pficiscitur, permanens est. ac si repetitī uicib. iterū atq; iterū tāgas arteriā, eandē semper reperies magnitudinem, pro ratione & quantitate morbi.

Sed uide, ne te magnitudo pulsus apparenſ seu detecta decipiat, quæ nihil horum quæ diximus ſignificat, ſed gracilitatem corporis, quæ detegit arteriā: unde appetet & ipsa, et motus eius tactui magis quam in crassis corporib. Editā aut̄ ſeu apparenſem magnitudinem uoco, quam Græci οὐρόν appellāt: cuius cauſas expoſuimus, & cōcauſas, dū de pulſibus temperamēti ſicci uerba faceremus.

Paruus pulſus familiaris est facultati imbecille, instrumento duro, uſui remiſio: ut noſti ex ijs quæ antea diximus. Iam ſi noſcere cupias, à qua nā barum cauſarum pulſus in quoipiam homine paruus naſcatur, utere eadē regula, qua in magno pulſu uſus es. Si enim paruus pulſus à facultatis imbecillitate profertur, erit paruus ſimil, & languidus: ſi ab instrumēto duro, erit paruus ſimil & durus: ſi neutrū adſit, nec duritics, nec languiditas pulſus,

col-

## Liber quintus.

285

collige esse usum remissum, id est calorē diminutū.

Quanta uero sit caloris diminutio, inde constabit, quoniam ad magnam refrigerationem, sequitur pulsus paruuus: ad maiorē, paruuus simul, & rarus: ad maximā, paruuus simul, & rarus & tardus.

At quae sint illa quae refrigerarūt, temperamen-  
tum ne frigidum naturale, an aer frigidus, an quies  
corporis & humorum, an cibi uel potionis frigi-  
dæ, an lotio in aqua frigida, an metus diuturnus,  
aut succi pituitosi: hæc & alia ostendet tibi conie-  
cturæ, similes illis quas de magno pulsu protuli-  
mus. Succos autem pituitosos, præter cætera, & u-  
rina optimè commonstrat.

Quemadmodum autem circa magnum pulsum  
te admonuimus, ne decipiaris magnitudine appa-  
rente: ita circa paruum pulsum uide, ne tibi impo-  
nat magnitudo abscondita: quæ nihil aliud decla-  
rat, quam corporis crassiciem, qua obruuntur ar-  
teriae, & motus earum. oculuntur enim adipe, car-  
ne, succis redundantibus: usui autem tum submini-  
strat celeritas, si opus est, & crebitas.

Præstat autem meminisse circa magnū & paruum  
pulsum, illius regulæ quam de cognitione pulsuum  
libro secundo protulimus. Perpendito quantus sit  
cuiusq; pulsus à natura, antequam in morbum in-  
cidat. Fieri enim potest, quod natura formauerit  
pulsum submersum & absconditum, qui reuerafi-  
eret

eripoteſt magnus ex ſe. Sed quia arteria proſun-  
dē inſeritur carni, apparet paruus, exiguā enim e-  
ius circuli portio tactui repræſentatur, aliquando  
nulla. Talis uero ūſum di minimu m non ſignificat,  
ſed formationem naturalem.

## SECVNDI GENERIS PVLSVVM

di fferentia e quid ſignificant. Cap. 3.

**C**elerem pulſum comitem eſſe aucti uſus, uel  
robusteſ facultatis, uel mollicieſ instrumenti,  
antea docuimus, quum cauſas eius ſynecticas tra-  
ctaremus. Ut ſciās igitur, à qua nam harum trium  
cauſarum, celer pulſus in quo piam homine proue-  
niat, & an ab una uel duabus, uel tribus: utere ea-  
dem methodo, quam de primi generis pulſu m diſ-  
rentijs ex pendendis dedimus. Primum ſecernito  
celerem pulſum. nam duplex eſt: alter enim dicitur  
celer comparatione ad moderatū, alter uero com-  
paratione ad naturalem uniuersitatem: hominis pul-  
ſum. priore comparatione uitur in ſanis, poſte-  
riore in alteratis uel ægrotis corporibus.

Pulſus celer, ſi à mollicie instrumenti enaſcitur,  
eſt ſimul celer & mollis: ſi à robore facultatis, fit  
ſimul celer & uebemens. Si uero nec uebementia  
illi adſit, nec mollicies, ab aucto uſu profeſtum eſſe  
ſcito: qui in ſanis, nō alteratis corporibus, calidum  
ſignificat temperamentum: in ægrotis uero, aut al-  
teratis, calefacentes affectiones.

Quām

Quād multum aut̄ usus sit adactus, inde per spicies. magno enim eius augmento, magnitudo sola pulsus sufficit, ut antea docuimus: maiori aut̄, magnitudo cū celeritate: maximo, magnitudo cum celeritate & crebritate. Hic uero obseruabilis singulare quiddā circa pulsus celeres. Sola ex usu aucto pulsus celeritas reperitur nunquā. Adiūgitur enim illi uel magnitudo, quæ anteuerit ipsam celeritatē generatione: uel crebritas, quæ sequitur post celeritatis generationē: uel utraq. id quod facile intellegit, qui priora didicit. Et quod magnitudo celeritati adiūgitur, nihil mirū est: sicut nec, si magnitudo simul et crebritas celeritati adsit, quicq̄ admiratio meretur: & horū significations iā exposui mus. Sed cū ipsa crebritas celeritati adiūgitur citra magnitudinē: hoc utiq̄, ut saepe accidit, ita multum angit medicū, quid portēdat. Mibi uero super hac re sepius anxiō, compertum est, nunquā celeritati cōiungi solam crebritatē, sine magnitudinis incremento, nisi uicio uel facultatis uel instrumenti. Facultas enim dum debilior efficitur ex qua piam causā, interim autē usus seu necessitas inualeat, detrahit magnitudinē. Licet enim usus augeatur, magnitudo pulsus nō nascetur, refragāte facultate, sed uicem magnitudinis supplet crebritas: qua repetitis paruis motibus, facultas nititur tantum præstare commodi, quantum uno magno motu præstat,

dum

dum est robusta. Sicut & nos ipsi, ubi defatigati sumus cursitando, & viribus destituti, interim autem necessitas urgere non desinat, magnos pedibus pulsus facere nequimus, simul et celeres: sed loco ipsorum, celeriter & sine intermissione, id est crebriter progredimur. In sanis igitur celeres & crebri pulsus sine magnitudine, significat exercitia supra modum immoderata, uel balnea immoderata, uel quamquam alia nimis recalescentem causam, quae uires adtrivit. In ægrotis uero affectionē morbi calidam, quae iam uires labefactauit, ut magnitudini motus proferenda sint impares. At uero instrumenti uicum, quod impedit magnitudinem distensionis, licet usus augeatur, est ipsa durities arterie, quae tamen scipsum prodit, fit enim tum necessario pulsus celer, creber, & manifestè durus.

Tardus pulsus, communis & ipse est tribus causis synecticis. nam uel imbecilla facultas ipsum generat, uel instrumentum durum, uel usus diminutus.

Discernes autem eas hoc pacto. si ex imbecilla evanescitur facultate, tardus est simul, et lassitudinis: si ab instrumento duro, tardus est simul et durus: si uero ab usu diminuto, tardus est dilatatus. At quam multum usus sit diminutus, inde iudicabis. Quoniam ad magnam diminutionem rarus est solummodo: ad maiorem, rarus, et simul tardus: ad maximam, rarus, tardus & parvus. Sed haec tibi ex antea dictis nota sunt.

Quod

Quod si due vel tres cause synectice concurredant ad pulsus, quos iam recensuimus, procreados, singularum proprias notas obserua: & que magis prepollet, ex ipsarum excessu cognoscet. Sit enim gratia, pulsus celer ab aucto usu simul & robusta facultate, & instrumento molli: excedat tamen mollicies plus quam uehementia & celeritas: cum uniuersis quidem tribus causis adtribues, sed instrumenti qualitatem praestare ceteris in profrena celeritate existimato. Quod si uero celeritas plus sit manifesta, plusque uigeat, quam mollicies & uehementia, usum auctum censeto antecellere efficacia plus quam reliquias duas causas.

TERTII GENERIS PVLSVVM  
differentiae quid significant.

Cap. 4.

C Reber pulsus ab aucto usu nascitur. In sanis autem calidas temperaturas, aut usum rerum non naturalium calefacientium significat: in agrotis uero, morbos calidos. Sæpe uero etiam ab imbecilla facultate prodit: que, quoniam magnos & celeres pulsus edere nequit, proinde crebros profert. Nonnunquam et ab instrumento duro dignitur, quod ineptum esse distensioni, antea docuimus: & quia pulsus duri magni esse non possunt, idcirco efficiuntur crebri. Vera enim est uetus gnomus Graecorum, tois mumpois ἀελον σπασισφυγμοις

ē spongiae et univōlūs: id est, Paruis penè omnibus pul-  
fibus adiuncta est crebritas. Discernes aut̄ ad pul-  
sum crebrū, tres à se inuicē causas, quas diximus eo  
dē modo, quāc iam aliquoties repetuimus. Duricies  
enī non separatur ab instrumento duro, nec ictus  
languiditas à facultate imbecilla.

Rarus econtrā pulsus uel ex diminuto usu fit: ac  
in sanis, non alteratis corporibus, frigidiora indi-  
cat temperamenta: in alteratis uerò res non natura-  
les frigesaciētes, in ægrotis autē frigidas morborū  
affectiones. Vel ab instrumēto molli, quod quia ma-  
gnam profert distensionē, idcirco raram. Habet au-  
tem hęc raritas molliciem sibi adiunctam. Dum ue-  
rò functionem facit sufficientē pulsus magnitudine  
motus, tum crebritate nihil opus habet. Fit etiam à  
robusta facultate rarus pulsus, sed tum necessariò  
et uehemens fit, et magnus. Ac quāto quisq; est fri-  
gidiore téperamento, robustus tamē, tanto magis ra-  
ros pulsus retinet cōparatiōe ad quadratū. Docui-  
mus enim antea, robustae facultati familiares esse ra-  
ros pulsus. Pulsus uerò rari cōparatione ad natura-  
lem uniuscuiusq; hominis pulsum, quales reperiuntur  
in ægrotis, sum suspecti, et sēpe perniciosi: qui  
si perseverent diutius, efficiuntur et tardi et par-  
ui. Significant uerò ingentē cordis frigiditatē, uel  
contentorū cordis, spirituum scilicet, et sanguinis  
qui in sinibus cordis continetur, uel partis uicinae  
cordi.

## Liber quintus.

291

cordi. Quod si corpus ipsius cordis occupetur ab ingenti frigiditate, signum erit, quoniam pulsus non supra modum sunt rari, immo uergunt ad crebritatem, propter facultatem debilem ex intemperie cordis: sed tum languidissimi quoque sunt, et minimi. Licet aut refrigeratione nativus calor tunc non indigeat, uentilatione tamen indiget, cuius gratia crebritas exoritur. Si uero non ipsum cordis corpus, sed ipsis contenta uel uicina, nimia corripiuntur frigiditate, raritas quidem excellit: non tamen delabitur pulsus ad summam languiditatem, nec fiunt pulsus languidissimi, tardissimi, et minimi. Vterque uero hic casus periculosus est, et mortem adfert insuperatam. Ac moriuntur dormiendo, nec amplius expurgiscuntur, quorum substantia cordis supra modum friget. Quorum uero friget spiritus in corde, uel sanguis, uel uicina cordis, moriuntur similiter: sceleste tamen et uigilando, et inter loquendum. Dum imperitis, qui artis Sphygmicae sunt ignari, bene se habere uidentur, interim ipsis animo deficiunt et exspirant.

Comperimus utrumque hunc mortis modum tam in sanis, potissimum senibus et ebriosis, quam in aegrotis: quum non ex ratione leuius se haberent (ut dicitur in Aphorismo Hippocratis) et quorum febres non precedentibus signis coctionis desierant. In febribus quoque magnis, in quibus praecesserant pulsus magni,

ii 2 celeres,

celeres, crebri, postea nulla morbi facta declinatio-  
ne, apparent parui, tardi, rari, citra mentis aliena-  
tionem, lethale est: cor enim refrixit proprio calo-  
re. Quod si adsit mentis alienatio, et non usq; adeo  
exigua sit pulsus paruitas cum tarditate et rarita-  
te: suspicio tum erit de ueterno expullulante, seu le-  
thargo.

Est controversia inter quosdam medicos, uter  
sit pulsus deterior in morbis, creber' ne an rarus:  
sed facile dirimitur hoc pacto. Pulsus crebri, qui  
prodeunt ex aucto duntaxat usu, minus sunt perni-  
ciosi, quam rari, qui ex diminuto usu nascuntur: ut  
uidere est in febribus ardentibus, quarum multæ sunt  
sine periculo, licet crebros retineant pulsus. Uter-  
que sanè est illaudabilis, & creber & rarus: mul-  
to tamen maior hominum numerus perit ex raris  
huiusmodi pulsibus, quam ex crebris. Pulsus uero  
crebri ex imbecilla facultate nati, quos indicat lan-  
guiditas & paruitas, sunt magis perniciosi, quam  
rari, qui ex diminuto usu enascuntur. huiusmodi e-  
nim crebitas, si permaneat, futurae syncopes est  
nuncia. Porro pulsus crebri ex duricie instrumen-  
ti, si conferantur cum raris ex diminuto usu, ut plu-  
rimum sunt deteriores. ex malis enim, & qua non  
facile extirpantur, causis emergunt: si cum raris ex  
mollicie instrumenti, nemo etiam dubitat esse  
peiores.

Et he

## Liber quintus.

293

Et hæc quidem sunt, quas diximus, significatio-  
nes raritatis & crebritatis externæ pulsuum. Cæ-  
terum crebritas interna, id est secundum internam  
quietem, calorem annunciat, sed excrementium  
& fuliginosum: raritas uero interna paucitatem  
excrementorum fuliginosorum. Sed hæc ex rhyth-  
mis melius cognoscuntur.

### QVARTI GENERIS DIFFE- RENTIAE quid significant.

Cap. 5.

Dificilior erat ratio perquirendi significa-  
tiones pulsuum ex tribus primis generibus,  
eo quod pluribus opus erat distinctionibus, prius  
quam ueram ipsorum causam inuenires, quoniam  
a tribus diuersis causis singillatim exoriri possunt.  
Posteriora autem genera duo pulsuum, que sequun-  
tur, faciliores ex se præbent significaciones, eo quod  
semper à certis causis & proprijs enascuntur, &  
quantitatis recessus earum à natura est luculentior  
cognitio. Quis enim nō facile percipit, quam mul-  
tum pulsus euertat tactum, uel tactus euertat pul-  
sum? aut cui obscurum esse potest, quam mollis aut  
quam dura sit arteriæ tunica? Vehemens pulsus ro-  
bur facultatis significat: & quo est uehementior,  
eo meliora sperare iubet. si tamen limites uehemen-  
tia excedat naturales, non uigorem uirtutis, sed ir-  
ritationem annunciat. Languidus contrà, debilita-

tem facultatis commonstrat. Et quanto est languidior, tanto maiorum virium destitutionem esse adtestatur.

Hic uelim reuoces tibi in memoriam, quæ libro secundo diximus, de cognitione pulsus medij inter uehementem et languidum. Medius enim pulsus, qui in corpore optimæ constitutionis reperitur, comes et testis est foritudinis uirtutis. Medius uero qui præter naturam fit, qui tam in ægrotis, quam neutrīs reperitur corporibus, qui scilicet nec euertit tactum, nec à tactu euertitur, languorem seu defectum facultatis arguit: non tamen tam insigñem, ut sit in languidis pulsibus.

Obseruabis et hic regulam scitu necessariam: facultas sola, si non multum alteratur, unum tantum genus pulsuum immutat. Facit enim pulsuum uehementiorem, si modicè intenditur, seu firmatur: debiliorem uero, si sola modicè à natura deflectit, infirmaturque. At si facultas multum alteratur, secedat que multum à natura, licet reliquæ duæ causæ sint integræ, maneant' que in naturali suo statu, usus scilicet et instrumentum, immutabit non suum tantum genus proprium pulsuum, licet sola sit quæ immutationem faciat. profert enim pulsus non solum languidos, si multum fatiscat, sed etiam paruos, ac propterea etiam crebros. Si uero multum uigeat, non tantum uehementissimos,

tissimos, sed etiam magnos: ac nisi usus augeatur, raros. Sunt autem ea quæ robur facultatis intendunt, seu augent, aliquando in corpore ipso, & uocantur causæ antecedentes intrinsecæ: ut sunt humores, qui prius erant crudi, uel semicocti, iam uero concocti, ira, motus naturæ, siue impetus, Græci ὡραὶ uocant, quem moli-  
tur natura, dum quidpiam cupit ejscere.

Aliquando uero, hæc quæ robur augent, extra corpus sunt, uocantur que causæ pro-  
tarcticæ, seu externæ: ut sunt, uinum, cibus mo-  
deratus, moderata exercitatio, & alia quæ cor  
& arterias ad bonam perducunt temperiem, si-  
ue sint cibi, siue potus, siue medicamenta, si-  
ue balnea temperata, siue animi affectus boni, si-  
ue euacuatio. Diminuum uero robur facultatis,  
uigilæ, sollicitudines, id est nimia curæ, inedia,  
tristitia: euacuationes immodicæ per aluum,  
urinæ uias, sudores, uomitum, uterus, hæmorrhagiam, id est, sanguinis profluvia, dolores  
fortes: aut qui cum proprietate aliqua inua-  
dunt, ut sunt stomachici, quos syncopa comita-  
tur, & alia que cunque cordi uel arterijs intempe-  
riem adportant: siue sint in corpore, ut in humo-  
ribus, spiritibus, solidis partibus: siue sint extra cor-  
pus, quæ uel calefaciendi, uel frigefaciendi, uel hume-  
ranti, uel siccandi, uel discutiendi, uel corrūpendi

potestatem habeant, quæ medicum bene exercitatum latèrē non possunt.

Hoc uero animaduertendum est sedulò, quòd cause quæ ob sunt, nocetq; facultati, quæcunq; illæ sint, siue antecedentes, siue extrinsecæ, nocumentū solent adserre, aliquando simplex & unum, aliquando duo, aliquando tria. Sunt enim nocumenta facultatis specie tria. Primum est, resolutio, dum scilicet temperamentum cordis uel arteriarū dissoluitur: & tum dicitur esse resoluta facultas. Græci dicunt ἀναπνεύνη σύνταξις; eam indicant pulsus languidi, parui: & si usus non urgeat, tardi, crebri. Alterum est oppressio, dum facultas ex se quidem robusta est, eo quòd bona sit cordis & arteriarum temperies, sed oneratur seu grauatur successis nimis. Græci uocant βαρυπνεύνη σύνταξις, hoc nocumentum indicant pulsus inæquales, inordinati, id quod ex tertio libro didicisti. Tertium nocumentum est irritatio, dum scilicet stimulatur facultas à rebus molestis, quam Græci appellant ἐρεθισμένη σύνταξις. Ea uera quæ irritant, nihil refert siue primò uitalem afficiant facultatem, siue animalem, siue naturalem. Docuimus enim antea, mutuum esse omnium facultatum inter se consensum: & quod uni magnopere nocet, aliae agrè ferunt. Irritatam facultatem, si robusta est, significat pulsus uelhementes, magni, alti, celeres: ut fit in ira,

et ceteris

& crisibus. Irritatā uero facultatē, si imbecilla est, ostendūt pulsus languidi, et loco magnorū celeres, et crebri. Quē admodū enim defecti quidā maximē uel per senectutē, uel per morbū, uel aliā quampiā quae antecēserit lassitudinē, si latrones subito cōspiciant ingruere, uel hostes, uel ferā aliquā, concitato cursu aufugiunt periculum, neq; in eo ualidis concedunt: quare & ex ædibus exiliunt, atq; oxyßimē discurrunt, quum antea per infirmitatem uix solerent progredi. Sic facultates animalium gubernatrices, si quando impendeat necessitas, celerius & crebrius suos conficiunt motus. ac etiā licet sint imbecillæ, se ipsas recolligunt, et maiores quoad possumt aliquando, ac uehementiores motiones edunt.

QVINTI GENERIS DIFFEREN  
tiæ quid significant, & omnium generum ex-  
tremitates quo modo sint estiman-  
dæ. Cap. 6.

M<sup>OL</sup>lis pulsus, quia semper à molli enascitur instrumento, nec aliam causam habet ullam, proinde arteriæ humiditatem certò indicat: humiditatis uero uel naturalia temperamenta, uel antecedētes cause eſſe possunt, cibi & potus humili, frequens balneorū usus, præsertim lauacri, somni multi, delicata diæta: et hæc quidem secundū natūram se habent. Contra naturam uero, profundus somnus, quem Latini soporem, Græci conia uo-

Sphygmicæ artis  
cant: lethargus, peripneumonia, œdemata uisce-  
rum, hydrops, & alij quicunque morbi, per quos  
arteriæ multo irrigantur humore, præsertim phleg-  
matico.

Durus pulsus ab arteriæ prouenit duricie. Signi-  
ficatione uero duricies uel siccitatem, uel cōgelationē,  
seu adstrictionem ex frigore, uel tensionem. Sicc-  
itas porro præter naturam (nam hic de naturali nō  
loquimur) prouenit uel ex ardentiſima, uel mali-  
gnæ febre, quæ longè affligit hominē: uel marasmo,  
qui exsuccū reddidit corpus: uel ex melancholica  
& quartana febre. Nam quædam eius species tor-  
rent etiam & emaciant corpus, quod faciunt &  
aque sulphureæ, & aluminoſæ, medicamenta  
exſiccantia, si quis diutinè eis utatur: atrophie, in  
quibus arteriæ nutrimento destituuntur, uictus  
exſiccans seu adtenuans, de quo Galenus pe-  
cularem scripsit libellum: uinum merum, fames,  
labor, sudatio exuperans, senium, sollicitudo,  
uigilia, tristitia, febris hæclica. Congelatio au-  
tem, seu adſtrictio ex frigore, ob importunam  
& immodicam aquæ frigidæ potionem prouenit,  
aut ob lotionem frigidam, aut ex superfluo  
fructuum refrigeratiū uisu, & alijs quæ frigidum  
& crassum phlegma gignunt, quod uitreum sole-  
mus appellare. Tensionem facit ſpasmos, uel infla-  
matio magna, uel affluxus ad membrorū recepta-  
cula

cula copiosi ac ponderosi, uel tumores. In scirrhis  
uerò uiscerum fit & tensio & congelatio. Duros  
pulsus, ut antea docuimus, comitatur paruitas, hæc  
celeritas et crebritas. Molliū comes est magnitudo,  
cum tarditate, & raritate.

Quum igitur singillatim omniū quinq; generum  
pulsus significations descripsimus, restat ut per-  
quiramus, quorum nam generum extremitates salu-  
briores sint in morbis, & quorum exitiales. Extre-  
mitates pulsuū superiorum, si conferantur cū ex-  
tremitatibus pulsuū inferiorū, multo sunt salubrio-  
res (qui uerò dicātur pulsus superi, qui inferi, libro  
secundo declarauiimus) Neq; enim tantopere ter-  
rere debet medicū pulsus uel maximi, uel celerrimi,  
uel creberrimi, uel uehementissimi, uel molliissimi,  
quantum meritò terrēt: ac formidolosi sunt minimi,  
tardiissimi, rarissimi, languidissimi, duriissimi. Tuto-  
res igitur sunt superiorū pulsuū extremitates, qua-  
rū nonnullæ & in sanis reperiuntur corporibus sine  
ullo incōmodo. Iuuenes enim integra prædicti uale-  
tudine, si currat uelociissimè, nāciscūtur pulsus ma-  
ximos, celerrimos, creberrimos, uehementissimos,  
sine ulla salutis offensa. Inferorū autem extremitates  
nunquā uacat periculo. minimos enim, tardiissimos,  
rarissimos, languidissimos, duriissimos, nunquam si-  
ne graui lapsu uel facultatis, uel usus, uel instru-  
menti reperies, aut omnium, aut aliquorum ex ijs.

At tameñ

At tamen inter superiorum pulsuum extremitates,  
quas salubriores esse reputamus, molliissimus omni-  
um sui ordinis est deterrimus. superfluam enim ar-  
guit humiditatem, comes hydropum & comatum.  
Vehementissimus uero omnium non sui ordinis tan-  
tum, sed & alterius qui inferos continet pulsus, est  
tutissimus: nihil portendit periculi, nuncius bona-  
rum crisiū, ut postea intelliges. Post uelamentis-  
simum, maximus utilitate praestat, nisi extrema  
mollicies illi sit adiuncta. Inter extremitates uero  
inferorum pulsuum, quas prauas esse censemus o-  
mnes. omnium deterrimus est languidissimus pul-  
sus. Post hunc tardissimus, & rariissimus, deinde mi-  
nimus. Duriissimus uero perinde est ut molliissimus,  
pericolosus, scirrhoꝝ & insignium inflammatio-  
num coniectaneus, aut frigiditatum summarum,  
aut squalidissimi marcoris.

In summa, omnes pulsus extremi, qui limites  
naturae longe sunt transgresi, mali sunt: de horum  
tamen malorum numero, uelamentissimus omnium  
est securissimus; languidissimus uero, omnium per-  
niciossimus.

RHYTHMORVM DIFFE-  
RENTIAE QUID SIGNIFICENT. Cap. 7.

**D**Ocuius libro primo, rhythmorū Gale-  
nicorum nouem esse differentias: eorumq;  
causas explicuimus libro tertio, ac usus immutatio-  
nem

## Liber quintus.

301

nem præcipuam esse causam uariationis rhythmo-  
rum ostendimus. Est uero usus distensionis aliis ab  
usu contractionis, ut ibidem dictum est. Rhythmus  
æqualis moderatus, significat corpus eucyhum,  
optimis succis fatum & temperatum. præter hunc  
uerò rhythmi alij, tanto impuriora & minus tem-  
perata indicant corpora, quanto ab eo magis de-  
sciscunt. Non erit autem abs re, si aliquot exem-  
plis, id quod dicimus, confirmauerimus.

Esto celer contractio, tarda uerò distensio. ijs  
qui talem rhythmum gerunt, calor naturalis om-  
nino est imminutus: amplificatus autem alter, qui  
fumosus est, & excremenicius. Sit porro alij tarda  
contractio, celer autem distensio: huic naturalem  
quidem augmentatum esse calorem certum est, &  
pauca adesse fuliginosa excrementa. Duplex enim  
est genere in corpore animalium calor. Alter cor-  
pori proprius & congenitus, benignus, solis, seu  
coelestis naturæ particeps. Alter uerò nothus &  
acquisiticus, elementaris ac igneus. Prior est in so-  
lidis partibus, et optimo sanguine. Posterior uerò,  
in excremenis & uaporibus: hic præter naturam,  
ille uerò naturalis. Ac sæpe accedit ut calor præter  
naturam coagmetetur, naturalis autem imminuat-  
ur: uel contraria, naturalis uiget, qui præter naturam  
est decrescit: naturalem distensio pulsus adtempe-  
rat, excrementosum contractio repurgat. Tarda  
igitur

igitur distensio caloris naturalis refrigerationē denunciat, tarda contractio etiam refrigerationē, sed non eiusdē, at alterius caloris, nempe excremēticij. Celer distensio uigore naturalis caloris indicat: cōtractio celer etiam uigorem caloris, sed nō naturalis, qui in impuris figitur humoribus: ex quib. multos efferri uapores est necesse: ut sit in dormiētibus, ex quibus multe exhalant fuligines: sed plures, si prauis utuntur cibis. plures in crassis, crudis & puitosis: pauciores in biliosis, & melancholicis: pluri uero in putridis, ut sit in febribus putridis: ac in febrium quidem accessionibus magis, in alijs temporibus minus: et tanto plus, quanto humores illi, à quibus huiusmodi fuligines efferuntur, cordi sunt propiores. id quod sit in pleuritide, peripneumonia, empyemate, phthisi, & quibusdam ad pectus catarrhis, dum uiciosi humores confluent ad pulmonem, locum scilicet calidū: qui nisi citò expantur, putrefiunt & suppurantur. iuxta illud dictum

Libro 7. Hippocratis: Distillationes in uētrem superiorem  
Aphor. 38. suppurantur intra uiginti dies. Celer igitur cōtractio hæc denunciat: quæ in febribus tam certum est indicium crudorū humorum, & feruidorū, quam urinæ, quæ coctionis signis carent. Nam dum cocti sunt humores, efficiuntur mites: nec sunt tam feruidi, nec mordaces, nec tam uaporosi: quare tum contractio non erit celer, sed moderata.

Actates porrò, anni tēpora, regiones quales sint,  
rhythmi etiam commonstram. Quæ enim ætates  
augentur, omnes celerem habent distensionem:  
quæ uerò declinant, tardam, eo quod plus natiui  
caloris illis inest, ijs uerò minus. illis pro corporis  
incremento increscit quoque animalis spiritus sub-  
stantia, ijs aut̄ contabescit. illis tum propter robur  
natiui caloris, tum propter corporis incrementum  
multa absumitur succorum copia: ijs uerò tantum,  
quantum uita exigit, eo quod nō ultrà augeantur,  
ac refrigerantur. iure igitur illis celer est cōtractio,  
ijs uerò tarda. Quo autem modo in ætatibus, sic et  
in anni temporibus et regionibus, et cunctis nos  
ambientis aeris conditionibus, distensio pulsus et  
contractio proportione respondent: in calidis qui-  
dē ad celeritatē, in frigidis uerò ad tarditatē se cō-  
uertendo. Ac quæ in somnis fiūt, magnopere adtē-  
dere oportet. nam contractio distensionē celerita-  
te uincere perspicitur, ac procul dubio etiā magni-  
tudine et uehementia: sed hęc medieus sensu nō per-  
cipit, ut antea ostendimus. Tēpore enim somni, ci-  
bi, succi, maximè cōficiuntur, et coquuntur: qua ræ  
tione sit, ut plurimū, quod fumosum est, colligatur,  
congeraturq; De rhythmis igitur pro instituto no-  
stro satis diximus. Nam singulas eorum differentias  
singillatim persequi et examinare, cuius facile e-  
rit, qui hęc à nobis proposita probè expendet.

In equa-

**A**Bsoluimus significaciones pulsuum omnium generum, & rhythmorum. Iam dicendum restat, quid inæqualitates portendant. Duo autem prima genera inæqualitatis, ex primo libro esse constat. Altera siquidem est systematica, id est, congesticia, aut si mauis dicere collecticia, quæ in uniuersitate multorum pulsuum consistit. Altera singularis, quæ in uno pulsu sit. Systematica, ut libro tertio docuimus, aut ex instrumenti uicio oritur, aut facultatis. Instrumenti uicia tria recensuimus, ac in schemate etiam antea depinximus, compressionem scilicet, obstructionem, & plenitudinem, facultatis etiam uicia tria, onus nempe, seu aggrauationem, distractionem seu irritationem, & debilitatem: & quas singula tam instrumenti, quam facultatis uicia inæqualitates proferant, breuiter ibidem declarauimus. Superez ut dicamus, quid possint singulæ inæqualitatis species, & quid denunciant: à systematica classe factò primordio, eo quod hæc sit apertior, & notior. Eum autē ordinē imitabimur, quæ libro tertio, ubi de causis eius egimus, sumus secuti.

Systematicæ inæqualitates, quæ ex uicio instrumenti prodeunt, aliae magis, aliae minus sunt periculose,

# Liber quintus.

305

losa. nam & instrumentorum uicia prauitate mul-  
tum differunt, secundum diuersam eorū magnitudi-  
nem, ac diuersam humorum qualitatē, & secundū  
loca diuersa quæ occuparunt. Magna enim obstruc-  
tio uel cōpreſſio maioris est momēti, quām parua:  
paruā indicat obscura inæqualitas pulsuū, magnam  
uerò aperta, & ad sensum efficax. Obstructio uel  
cōpreſſio, si corpora, seu partes teneat arterijs pro-  
pinquas, arcet ac impedit pulsuū distensionē nō si-  
ne ægroti incommodo. Si uero arteriarum tunicas,  
maius est periculū, & manifestior inæqualitas: ma-  
ximum uero, si ipsum cor uel oscilla eius occupet,  
id quod proxima syncope demonstrat. Quod si ui-  
scidi crassiū humores obstructionis uel cōpreſſio-  
nis causa sint, ut arteriae nec allicere spiritum, nec  
reddere ualeant, plurimas fieri inæqualitates cōſpi-  
ties, magnitudinis & paruitatis, celeritatis & tar-  
ditatis, crebritatis & raritatis, uehemētie & lan-  
guiditatis: et difficillimas, id quod curatio indicat.  
Quæ uero pulsuū inæqualitas ex sanguinis copia  
accidit, qui aut ad uenas, aut ad arterias sit affusus,  
nō est adeo pericolosa. sanguinis enim missione faci-  
lime sedatur. Copia siquidē illa in uenis, arterias,  
ut pote uicinia uasa, nō secus ac tumor prater natu-  
rā, premens & cōstringens, uacuata per sanguinis  
missionē, amplius non cogit tumere uenas, statimq;  
restituit locū arterijs, ad mouendū amplū: in quo

x quia

quia solitam functionem nemine interpellante obserunt, simul æqualitatem naturalē pulsuum sine motu recuperant.

Facultatis grauationes ex plenitudine, ad uires quascunque inæqualitates producunt (producere autem possunt omnium generum) si præualet ac dominatur facultas, securæ sunt. Indicium autem dominij est, quoniam plures sunt pulsus magni, quam parui: plures celeres, quam tardi: rari plures, quam crebri: uehementiores plures, quam languidi. Si uero non dominatur facultas, immò fatiscit, periculose sunt. Eius autem indicium est, quoniam tum plures sunt pulsus parui, quam magni: plures tardi, quam celeres: crebri plures, quam rari: languidi plures, quam uehementes. Sic enim & baiulos, qui portant sarcinas graues, satisfacturos esse instituto itineri pollicemur, si passus faciant: & si inæquales (pondere enim præpediuntur) ut plurimum tamen magnos, celeres, & fortes. Contrà, non bene euasuros iudicamus, qui supra modum onusti, paululum promouent, h. erent & uacillant.

Quæ uero à distracta facultate prodeunt inæqualitates, ex duplice cordis uel arteriarum intemperie, de qua libro tertio, capite nono & duodecimo uerba fecimus, tanto sunt periculosiores, quanto ad curandum difficiliores. contrarios enim curandis

randi conatus exposcunt, & partim calefactione,  
partim refrigeratione indigent: iam si profueris  
frigidis partibus calefaciendo, nocebis calidis.  
Quia uero inæqualitates pulsus ex duplice intem-  
perie cordis profectæ, communes sunt uarijs af-  
fectibus, nec ab eisdem causis semper fiunt ( pul-  
sus enim inæquales anonymos, docuimus non so-  
lum à duplice intemperie nasci, sed nunc à uicio  
instrumenti, nunc etiam à facultate onerata ) pro-  
inde adhibenda sunt alia præter pulsus signa, ad  
causas eorum discernendas: que medicos non la-  
tent, qui in notitia locorum affectorum diu sese  
& diligenter exercuerunt. Hippocrates, præter  
cetera cordis affecti indicia, non contemnendum  
et illud in Aphorismo protulit, Qui frequenter ac  
fortiter absque causa manifesta exoluuntur, dere-  
pentè moriuntur.

Debilitas facultatis, que ex temperamenti  
dissolutione prodit, non pares in omnibus morbis  
tenet gradus: uarius est eius defectus. Prima enim  
& parua dissolutio facit minores, languidioresq;  
pulsus. Maior uero dissolutio, paruos, tardos, cre-  
bros, & insigniter languidos, nondum tamen myu-  
ros. Que uero est hac tanto maior, ut iam ap-  
plicatos digitos facultas non ferat, haec myuro-  
um fons & origo est. Iam uero myuri non reci-  
proci, maiorem annunciant facultatis defectum,

quam reciprocæ, & maiorem adhuc intermittentes  
pulsus, maximum uero deficients. Singulari uero  
dexteritat eopus est ut utatur medicus, in inuesti-  
gandis tactu huiusmodi pulsibus, de qua libro secū  
do satis egimus.

Intermittentes pulsus familiares esse debili facul-  
tati, non proprios, libro tertio docuimus. prodeunt  
enim nunc à debili facultate, nunc à ualida instru-  
mentorum obſtructione uel compreſſione. Sed hæc  
ita discernes. Si uicio instrumentorum gignuntur,  
non amittunt magnitudinem, nec uehementiam,  
posteaquam redierint, niſi uicia illa ſint in corde  
uel oscillis eius: quæ iterum hoc pacto discernun-  
tur, quoniam ad ea syncopa illicoſe sequitur. Si uero  
à facultatis imbecillitate intermittentes prodeunt,  
omnes ſunt parui & languidi: quorum alij ſunt pe-  
riculosi, alij periculosiores, alij periculofißimi. peri-  
culosi ſunt, quorum intermisſio non excedit tempo-  
ra unius pulsus. Quod si diutius quiescat, tanto e-  
runt periculosiores prioribus, quanto diutius oci-  
antur. Qui uero duorum pulſum tempora inter-  
mittendo transigunt, ſunt pernicioſimi, & uix  
quisquam liberatur ex huiusmodi discriminē.  
Tantum porro est uite incommodum ex pulſum  
ocio ſeu intermiſſione, quantum eft ex apoplexia,  
quæ eft motus uoluntarij ad respirādum intermis-  
ſio. Iam ſicut apoplexiā, quam uocant forteſ,  
ſolute-

Liber quintus.

309

soluere est impossibile, debilem uero non facile: sic intermittentem per bina tempora pulsum, emendare est impossibile, per unica uero non facile. In senibus tamen pluribus comperimus pulsus intermittentes parui fuisse periculi, qui in ipsorum febribus, & astmatibus non multum nos terruerunt, aliorum successu eductos, quos conualuisse uidimus. Pueri quoque non adeo periclitantur cum intermittentibus pulsibus. At iuuenem ex talibus pulsibus euafisse conspeximus nullum, nisi adsit alicui secundum naturam: qualem recenset fuisse in iuuenie quodam Galenus, in fine libri de Praesagitione ad Posthumum. Cognoscet uero numerum à natura alicui adsit ægrotio, si obseruaueris regulam quam tradit Galenus in commentarijs Lib. Prosuper Prognostica Hippocratis. Quoties enim gnosticō ex alijs omnibus signis, morbus censemur esse sine periculo, unum accidens terrificum ex natura adesse sciendum est, aut prorsus ante ægrotationem fuisse, propter aliquam causam evidentem. Cur autem intermittentium pulsuum inæqualitas, salubrior sit senibus & pueris, exitialis uero iuuenibus, ratio hæc est. In morbis, ut inquit Hippocrates, minus periclitantur, quorum naturæ, aut ætati, aut habitui, aut tempori, magis congruit morbus, quam quibus secundum nihil istorum congruit. Senes & pueri imbecillas habent uires ui-

3. cap. 8. cō  
mento 39

tales : ex facili igitur & leui causa actiones earum immutantur. Intemperies & obstrunctiones exiguae, senibus & pueris obsunt : iuuenibus non nisi maximæ, quas extirpare est difficile.

Deficiens pulsus altiore gradum, & periculoso rem debilitate facultatis indicat. quod enim delinquit uno aut in altero, aut certo motuum numero intermittens, hoc deficiens in motibus omnibus.

Asphyxia (libet enim de eius significatione hoc quoque loco dicere, eo quod libro tertio in extremo gradu disolute facultatis eam collocaverimus, post myuros, intermittentes, & deficiens pulsus) omnium symptomatum est horrendissimum, & certus mortis nuncius. Solet autem occupare quosdam paruo ante obitum temporis interuallo : alios uero aliquot horas ante obitum, alios etiam complures dies. Nos unum tantum per annos uiginti, quibus in curandis ægrotis assidue uersati sumus, habuimus ægrotum, qui quatuordecim dies perseverauit in asphyxia, aequaliter siue morte defunctus. Erat is Lucas comes de Gorca, vir illustris ex primariis regni Poloniae senatoribus : cuius filius unicus, Andreas comes de Gorca, summus maioris Poloniae capitaneus, vir autoritate, opibus, armis, ingenio, omnium quos unquam Polonia habuit proce-

## Liber quintus.

312

procerum potentissimus, uix unum & alterum diem durauit in simili asphyxia, ante mortem. At qui peste perierunt, quales nos plurimos, ut artem Sphygmicam experientia confirmaremus, inuisimus, caute tamen: alij duos dies, alij ne unum quidem potuerunt transigere, cum asphyxia. Non omnes tamen, qui sunt in morbo morituri, asphyxia corripit: non est hic solus & unus mortis nuncius, sed de hoc infra dicetur. Porro, sicut formicans pulsus horrendus non est, dum à causis momentaneis enascitur, ut infra dicemus: ita & asphyxia, formidabilis non est.

Intercurrens pulsus, omnium ex systematica classe, quorum nomina extant propria, est securissimus. Fit autem, dum à copia humorum oneratur cor, uel arteriae: aut dum hæc obstruuntur, uel comprimuntur. Quæ quidem cause, præter alias, erant etiam intermittentia, sed eo differunt, quoniam repugnat in intercurrentibus, & decertat cum noxijs causis, facultas: in intermittentibus, piget hoc illam facere. Promittit intercurens bonas crises in morbis, & affuturæ salutis fidus est testis, si alia consentiant. Quemadmodum uero ferrarium fabrum unum de numero quatuor uel quinque, ad unam laborantem includem, agilem esse tum ac ualidum

x 4 oportet,

oportet, operi' que suo obnixè intentum, dum præter spem aliorum, inter duorum ictus, tertium laminae incutit feriente malleo: sic facultas, quæ morbos demolitur (nam eorum ipsa est medicatrix, ut inquit Hippocrates) ualida, et ad propulsanda obstacula properans sit necesse est, dum inter duos pulsus tertium ex insperato proiecitur.

INAEQUALITATES SINGULARES quid significant.

Cap. 9.

**I**Nequalitates singulares significatione parum discrepant ab inequalitatibus systematicis. Sunt uero semper deteriores quam systematicæ: causam libro tertio eius rei deditus.

Intermittentes singulares proximam solent denunciare mortem, præsertim qui sunt prauiores: quos antea depinximus, ubi causas eorum expuneremus. Idem de imparibus citatis esto iudicium: eos tamen diutius possunt tolerare infirmi, quam intermittentes.

Myuri uero singulares non hoc solum, quod myuri systematici commostrant, defectum scilicet uirium, sed præter hoc et gracilitatem corporis. Quo enim corpus fit gracilius, hoc plus arteria aparet, et pluribus digitis occurrit.

Dicoti adtestantur de impuritate et putredine humorum, à qua fuliginosorum uaporum plurimum

Liber quintus.

313

rimum effertur: eos propterea in singularium classem inseruimus, licet non sint re ipsa singulares, ut ordinem, cui libro primo & tertio innitebamur, imitaremur.

Ne mireris autem, quod dum significaciones inæqualitatum recensemus, interseramus nonnulla que ad causas earum explicandas pertinent: quod erat proprium libri tertij & quarti negotium. Sic enim complicata est ars præsagitionis pulsuum, cum arte causarum indagationis, ut necesse sit, qui alteram tractat, alterius materiam simul uerset. Et reuera qui causas pulsuum disquirit, iam præsagit, licet non futuros semper, at saltem præsentes & præteritos ægrotorum affectus. Atque idcirco & significaciones inæqualitatis singularis in diuersis partibus arteriæ, hoc loco o bmitimus, & eminulorum ac prominulorum pulsuum; quoniam ex libro tertio facile est eas colligere.

ORDO ET ATAXIA QVID

significet. Cap. 10.

**O**bscure admodum Galenus significaciones ordinis & ataxiae declarat, ne dicam negligenter. Nam quod tradit, ordinem meliorem esse quam ataxiam, id est perturbationem pulsuum eiusdem generis, procul abest à uero: et ratio quam

x s eius

eius pronunciati subiungit, inquiens, Quod natu-  
ræ nostræ ordo cum primis familiaris est, nihil de-  
monstrat. Ordo enim inæqualitatum in pulsibus,  
non à natura nostra proficiscitur, sed à morbo, &  
causis eius, & symptomatibus. Obstructiones siqui-  
dem, compressiones, repletiones, debilitates, si fixæ  
sunt & stabilitæ, ordinatas inæqualitatū uices pro-  
ducunt: si uero instabiles sunt et fluxæ, inordinatas.  
quod et ipse metu fateri cogitur Galenus. Nec solum  
inæqualitates pulsum certos habent aduentus &  
recessus sui terminos, ex causis huiusmodi, id est si-  
xis: sed & febres ipsæ, quarum causæ fragiles  
non sunt, suum etiam obseruant ordinem: ordo  
tamenille minimè est laudabilis. Imò quibuscum-  
que accessiones fiunt, quacunque hora febris di-  
miserit, si eadem cras occupauerit, iudicium ha-  
bent difficile, ut ait Hippocrates. Potest au-  
tem multis exemplis ostendi, quòd ordo inæ-  
qualitatis non sit melior ordinis perturbatione,  
in eodem genere pulsuum. Pulsus, qui perpe-  
tuò est paruus, languidus, ordinatus, melior  
non est: immò multo deterior illo, qui aliquan-  
do est paruus, aliquando magnus: nunc lan-  
guidus, nunc uchemens inordinate. Sic & pul-  
sus inæquales anonymi, inter quos plures sunt  
magni, quam parui: plures celeres, quam tardii:  
plures moderati, quam crebri: inordinati melio-  
res

Libro 4.  
Aphor. 30.

res sunt, quām in ijsdem generibus inæquales cum ordine: inter quos plures reperies paruos, quām magnos: plures tardos, quām celeres: plures crebros, quām moderatos. Quare axioma Galeni cum sua demonstratione, nulli (quod ego puto) erit consentaneum medico, qui emunctas habet nāres. Nam nec urinæ, quæ ordinatim malas hābent hypostases, bona sunt: nec uomitus syn-  
ceri, si fuerint ordinati (id est, si statim semper horis in morbo conspiciuntur) boni sunt.

Quod si ea ratiocinatio proba est, ordo inæ- qualitatis pulsuum melior est, quām ordinis per- turbatio: in eodem genere pulsuum, quoniam ordo naturæ est familiaris, proba erit & hæc. Accessio- nes doloris in morbo Gallico, si fuerint ordinatæ, id est, si sub uesperā semper incident, meliores sunt, quam quæ promiscuo tempore inuadunt: quod ta- men dictu est absurdum.

Quare quum constet, ordinem aliquando à na- turæ, aliquando à rebus contra naturam fieri: sta- tuendum est certò, illum solum ordinem bonum esse, qui à naturalibus & salutaribus causis con- stituitur: malum uero, qui à morbis meis. Ordo i- gitur in bonis pulsibus, bonum: ordo in malis pul- sibus, malum. Et quanto pulsus sunt deterio- res, tanto & eorum ordo est peior. Difficulter enim soluitur, quod fixam & stabilitam causam  
habet,

habet. firmata enim, magnam uim demolientem ex poscunt, longum tempus, et plura auxilia. Ataxia uero in bonis pulsibus non usq; adeo mala est, in malis uero est illaudabilis, in utrisq; incerta et dubia ex se. Bonos uocamus pulsus, quorum species bona sunt, et extremitates bona: ut sunt magni, celeres, moderati, uehementes; quorum extremitates sunt, maximus, celerrimus, uehemetiissimus. Malos uero, quorū species sunt mala, ut est paruus, tardus, creber, languidus; quorum extremitates multo adhuc sunt peiores: minimus scilicet, tardissimus, creberimus, nec non rariissimus, languidissimus: de ijs uero supra satis dictum est. Fecimus etiam censuram ante inæqualitatum: et docuimus, quæ meliores sunt, quæ deteriores, quæ pessimæ. Quum autem constat, ataxiam firmas causas non habere: et quod firmū non est, facile soluitur. Proinde in bonis pulsibus, et non malis inæqualitatibus, non est adeo magni pena: in malis uero, non parui aestimāda. Sed quoniam fluxiles et solubiles sunt cause eius, possuntq; ex nobilioribus partibus transire in ignobiliores, et eo pacto tum non esse periculosæ: possunt etiam ex ignobilioribus migrare in nobiliores, et tum nō uacare periculo: idcirco incerta est et dubia eius significatio, eo quod sit transitoria. Sed ut paucis rem totam complectar, ordo certus est index boni uel mali: boni quidem in bonis pulsibus, uel bonis

bonis in æqualitatibus : mali uero, in contrarijs.

Ataxia uero, incertus est index boni et mali. Diligentior ergo animaduersio adhibeda est ad genera et species pulsuum, et earum extremitates, rhythmos, æqualitates, inæqualitates, quam ad ataxiam, seu ordinis perturbationem: quæ nec quicquam certi habet, sed omnis eius reputatio ex bonitate eius cui adest, uel malicia pendet.

PVLVS COMPLICATAE IN AE-  
qualitatis, qui nomina habent pro-  
pria, quid significant.

Cap. II.

**V**Ndosus pulsus ea ratione malus esse non censetur, quod adtestetur nullam adesse uisceribus inflammationem, nec adesse scirrum, nec congelationem seu adstrictionem ex frigore ingeniti, nec siccitatem immodicam, nec spasmum. Humiditatem enim undosus pulsus ad sui generationem requirit: ij uero quos recensuimus affectus, siccus possident arterias, aut ad minus tensas, in quibus undosus pulsus consistere nequit, propterea quod duricies formam undarum sese adtollentium effici non permittit. Adfert secum et aliud bonum undosus pulsus testimonium. dum enim appareat in febribus, sudorem pollicetur criticum, praesertim si altitudinem et uehementiam retineat: aut saltem, si plures habeat motus altos et uehementes, et si si-

gna

gna coctionis præcesserint. Significat undosus pulsus, morbos nimio humore solidas partes irrigantes: quales sunt febres phlegmaticæ, quotidiane, et typhodes à Græcis nuncupatae, id est, madidæ, hydroperæ, præsertim anasarca, in quibus nulla scirrho induruerunt uiscera, quod hydropticis utplurimum accidit: sed tum undosi pulsus effigies effici non potest ob tensionem. Undosus si in uermiculante degenerat, malum est: prosternitur enim iam facultas, nondum tamen deficit.

Vermiculans molles etiam requirit arterias: sed in debiliore multo facultate, quam undosus. Indicat uero corpora spiritibus esse inanita et depaupera ta, ex nimio alui fluore, uel sanguinis effluxu, uomitis, purgationibus, cholericis, urinis copiosis, menstruis superfluis, haemorrhoidibus, sudoribus, percutem exhalationibus. Significat et pulmonem nimia scatentem humiditate, non ab initio, sed adtristis iam uiribus, putrente iam pulmonis substantia. Commonstrat et phthisicos, et empyicos, dum eorum inclinat facultas: nisi siccitas que eos comittatur, eum prohibeat, quæ etiam in hecticis febribus eum fieri prohibet. In inflammationibus etiam adficit, quando iam decidunt uires: sed duricies obstat. molles enim semper amat arterias uermiculans pulsus. Loco uermiculantium hecticæ febres et aliæ ægritudines, quæcunque nimium labefaciant uires;

uires : si duricies adsit arteriarum , consequuntur illam inæqualitatem singularem , in qua non omnes partes arteriæ ex æquo distenduntur . De cuius causis libro tertio , capite tredecimo disputavimus .

Formicans multo est perniciosior uermiculante . In febribus quæ diuturnitate temporis exhausterunt uires , certus est mortis nuncius . Vermiculans & formicans si suboriantur , à causis quæ facultatem subito resoluunt , sed quæ emendari possunt , medico terrorem non incutiant . quæ enim citò resoluuntur corpora , citò etiam reficiuntur : ut uidere est in ijs qui in balneis animo delinquent , & formicantibus fruuntur pulsibus : quorum spiritus dissipatos & exhalantes , si aquæ frigidæ consperfione collegeris , illico ad se redeunt , pulsusq; bonos recuperant . Idem usiuuenit & ijs , quibus ex uulneribus , uel naribus , ingens sanguinis copia profluit , qui facili accepto nutrimento restituuntur . Sed formidabilis est uterq; hic pulsus in febribus lenis & paruis . acutæ enim uermiculante nō admittunt : eo quod calor auctus , non sinit fieri tardam distensionem , dum facultas , eti debilis , remittitur tamen , seq; necessitatì accommodat , quantum potest . quæ in re à formicante uermiculans multum dissipat . hic enim non est extremè tardus , nec extremè languidus , prout ille . Et quum sit uermiculantis distensio

diftensio inæqualis, alijs partibus citius, alijs tardius motum incipiens: non erit adeò exitiosus, si tarditas non multum exuperet.

Caprizans superiorem eſe naturam morbo indicat, & uictoram de ipso promittit. Sed si posterior pars motus fuerit languidior, iā non erit propriæ caprizans, & pugnam nunciat dubiam, facultate iam quodam modo tergiuersante.

Serrans quanto est manifestior, tanto deterior: manifestiore ipsum faciunt, numia tensio & duries. Hec uero ambo ingentem tumorem testantur eſe apostematis, quod longa coſtione indiget. Et niſi ægrotus robustis ſit uiribus, ſuccumbit cum tanto & tam crudo apostemate, uel ſuppurationem incurrat neceſſe eſt.

Convulſius alius alio eſt melior, alius dete-  
rior. Nam qui post plurimos sudores, aut uomitus,  
aut alui deiectiones, aut ſanguinis eruptiones,  
aut uigilias, aut famem, aut motus, tum multos,  
tum uehementes, aut febres adurentes prouenit,  
ægre tollitur, & eſt malum propemodum insana-  
bile. Qui uero nafcitur repente, statim ab ini-  
tio morbi, uel non multo post principia, non eſt  
adeò periculosus. Quod si cauſa procathartica,  
ſeu externa, huiusmodi pulſum prouocau-  
erit, nempe uel ictus alicuius feræ uenenoſe, uel  
uenenata potio, tāto erit magis horrendus, quanto  
cauſa

## Liber quintus.

322

causa eius altiores egerit radices in corpus: quæ cù  
penitus introierint, difficulter extirpantur. Miti-  
or uero, si rescindi & amoueri citò poterint: uel  
quia non sunt efficaces, uel quia non diu moratur  
uenenum in corpore.

Vibratus insanis non est incommodus: solet au-  
tem inuadere homines subito expergesfactos à som-  
no, uel percussoſ & irritatos à quopiam terricu-  
lamento. In ægrotis uero, in quibus uel magnæ in-  
flammationes, uel tenacissimæ obſtructions, uel  
ſpasmi deprehenduntur, naturam cum morbo ur-  
gente contendere significat.

Palpitantes pulsus aliquoties in ſenibus reperi-  
dum in phlegmaticis decumberent febribus: ſed tan-  
ti illos feci, quanti bullas aquæ innatas, quæ statim  
diſperereunt. Quibus autem palpitatio totius corpo-  
ris ſimul aderat, iij grauius ægrotabant, & longa  
egebant medicione.

Tremēs uero pulsus, tam ille qui uerē eſt tremu-  
lus, quām qui ex trementibus ad carpum muſculis  
tremens reputatur, ſemper mihi fuit malum futuræ  
syncopis, & poſtea mortis omen. Sed percontari  
oportet, à natura ne, uel ante febrem ne incooperit.  
Si enim ab alia cauſa quampiam, quām ex febre  
prouenerit, non ſolet magnum adſerre diſcri-  
men. Sensit ante mortem tres dies in febre, trementem  
pulſum, Polyxena uxor mea amantissima, quæ ca-

Sphygmicæ artis  
stitate, morum elegantia, uenustate formæ, opulen-  
tissima dote, omnes omnium iudicio sceminas Pos-  
naniæ excelluerat.

Hecticum, quām probus sit, prodit ipsum nomē.  
Nam non deserit facile, quæ corripuerit corpora:  
longitudinem morbi pollicetur, qui bonū uel ma-  
lum exitū est habiturus, prout uires permittūt, &  
egrotu: ad ea quæ offerūtur bene uel male habet.

Strepens pulsus semper durus est, inanitionem  
demonstrat, & uacua uasa: hunc saepius deprehen-  
dimus in febribus magnis senum ( & ijs qui totius  
corporis spasmō contrahebantur ) in macilentis  
corporibus, quæ renutratione indigebant.

CORDE AFFECTO QVI FI-  
ant pulsus. Cap. 12.

**T**AM absoluimus, quanto potuimus compendio-  
sius, doctrinam prognoseos seu prouidentiæ se-  
cundum diuersa genera pulsum, & differentias.  
Restat, ut alteram doctrinam prouidentiæ secun-  
dum locos affectos aggrediamur. has enim duas e-  
ius partes, seu duos diuersos docendi modos, ab ini-  
tio huius libri esse diximus. Præstat autem inci-  
pere à corde, nam affectus eius diuersi, miris mo-  
dis pulsum immutant: quod bene callere, et memo-  
ria reuinere fidelem medicum oportet. Cordis af-  
fectus sunt intemperies, male compositiones, so-  
lutiones continui: sed male compositiones graues,

## Liber quintus.

323

& solutiones continui etiam modicæ statim ad portant syncopam, ac eius ratione pulsus immutant. Tumores autem seu apostemata nō fert hoc uiscus, sed in eorum exortu perit homo syncopa corruptus. Quare ijs morbi generibus obmis̄ū, de intemperiebus cordis speciatim tractemus, generalibus præceptis aliquot præmissis.

Primum: Pulsus ob intemperiem nunquam immutatur, nisi affectæ sint uel arteriæ, uel cor.

Secundum: Contingit aliquando arterias affici aliqua intemperie, nihil læso corde. Afficto uero aliqua intemperie corde, fieri non potest, ut innoxiae permaneāt arteriæ. necesse est enim, eas eadem intemperie imbui plus minus. Ac calida quidem et frigida intemperies cordis, citò permeat in omnes arterias: humida uero & sicca, lente. Defingemus autem hoc loco, undecim cordis affectus diuersos, pro diuersa substantiæ eius, & contentorum & uincinorum eius intemperie.

Primus: cordis substantia si calida sit, plus quam naturæ conuenit, necesse est ut edat pulsus paruos, celeres, crebros, & languidos: magnis enim & uehementibus conficiendis, uis pulsatrix sufficere non potest: læso tēperamento cordis, in quo potissimū sita est. Imò nec celeritati gignendæ sufficit si supra modū incaluerit cor: compēsat tamē crebritate sua detrimēta. Quod si nō partes duntaxat alias, sed

Sphygmicæ artis  
totum corpus cordis calor permeauerit, febrem  
parturiet, quam hecticam uocant.

Secundus, cor calidū non substantia, sed ijs quos  
uentriculi eius continent spiritibus uel humoribus,  
facit pulsus, quos aucto usui docuimus esse peculia-  
res: nimirum magnos, in maiore caliditatis excessu  
magnos & celeres, in maximo magnos celeres &  
crebros. Ac nihil obstat, quin fiat et maximi et ce-  
lerrimi & creberrimi, si superabundauerit calor,  
& facultas integra sit, instrumentum non durum.  
Nam alioquin affecta facultate, uel instrumento  
duro, magni confici nequeunt, nedum maximi.  
Prodit autem affectam facultatem, pulsuum lan-  
guiditas: duriciem instrumenti, ipsa arteriæ tunica.

Tertius cor contentis suis calidum, arteriæ fri-  
gidæ, faciunt pulsus arteriarum, magnitudine, cele-  
ritate, crebritate, moderatos, et ueluti naturales. Fi-  
unt autem arteriæ frigidæ, uel quia frigidos in se suc-  
cos continent, uel quia extrinsecus sunt refrigeratae:  
id quod ijs accidit, qui hyberno tempore febriæ in  
geliis decumbunt locis, nudatis interim manibus,  
uel in aquam frigidam demersis: quod nonnulli de  
industria faciunt, querentes refrigerium. Cur autem  
moderati sint pulsus, causa est, quoniam medius  
quodam modo hic status efficitur ex duobus con-  
trarijs. Arteria enim frigida, recalcata à corde,  
nec paruum pulsum edet, qui frigidæ est: nec ma-  
gnus,

## Liber quintus.

325

gnum, qui calidæ: sed inter utrumq; medium . i= dem de celeritate & alijs intelligas.

Quòd si tum alteram manum arteriæ, alteram cordi applicaueris, deprehendes cor multo ma= iorem, celeriorem & uehementiorem ex irrita= tione motum edere, qui in arterijs non appetet. Et solent tales ægroti sape de pulsu cordis conque= ri, quem ipsi saltum vocant, eo quòd plus solito eis salire uideatur. Multos ego obseruaui ægro= tos, qui continuis ex phlegmate laborabant febri= bus, quorum uenæ & arteriæ crudis & frigidis erant refertæ humoribus, cum huiusmodi mode= ratis pulsibus, quos etiam inepti quidam febre ca= rere decernebant: ac interea uictus rationem, qua= si solutis febre instituebant, usq; ad mortis exitium.

Quartus, Cordis substantia calida , contenta, frigida, si ex aequo à natura recessum est in utramq; partem, facit pulsus celeritate, crebritate, nihil à na= turalibus & moderatis discrepantes. Tanto tamen erunt languidores et minores, quanto uisceris sub= stantia est calidior . comitatur uero hunc affectum febris hectica.

Quintus. Cordis substantia frigida, facit pulsus, paruos, tardos, imbecillos. Nā et usus est remissus, & facultas languida ob intemperiem. Crebros ue= ro etiam facit : quoniam etsi refrigeratione opus non habeat tale cor, uentilatione tamē indiget, cu=

ius gratia crebrò necesse est distendi arterias, quæ parua distensione, huic non satis faciunt necessitatē.

Sextus. Cordis contenta frigida, faciunt pulsus paruos, tardos, raros, quales docuimus diminuto usui esse familiares: ac præpollet in primis in tali affectu raritas, deinde tarditas, postremò paruitas.

Septimus. Cordis contenta frigida, arteriæ calidæ, faciunt pulsus secundum sua genera moderatos: quoniam & hic status ex contrarijs est constitutus. Et quantum caliditas arteriarum tendit ad magnitudinem, celeritatem & crebritatem: tantum frigiditas contentorū cordis ad paruitatem, tarditatem, raritatē. Proinde medij inter hæc cōstituentur pulsus. Raro buiusmodi affectus accidit, ac febre uacat. Solēt uero corripere ijs affectus, illos q. in corde uel pulmone frigidos coaceruarū humores: q. si obstruant oscilla cordis uel arteriarū, aderūt statim et inæqualitates uariæ, de quarū causis anteā diximus.

Octauus. Cordis substantia frigida, contenta calida, tales faciūt pulsus, quales in quarto affectu fieri docuimus. moderati enim erunt: tantū autem languidi et parui, quantum frigiditas uisceris excellit. Ut autem in quarto affectu solet fieri hectica febris, ita in hoc ephemera, uel putrida, spiritibus uel humoribus recalcitatis. Quæcumq; autem de contentis cordis, uel arterijs diximus, eadē de ijs intelligas, quæ uicina cordis dicūtur: quæ prope cor sita sunt,

ta sunt, ut est pulmo, mēbranæ thoracis cordi proxime, pericardios tunica, ac in ea inclusus aer, uenæ cordi adnatæ. hæc enim omnia simili modo ut arte=rie, uel materiæ in corde cōtentæ, pulsus immutat.

Nonus. Cor frigidū, sumosum uaporibus redundās, commutabit rhythmū pulsuū, et faciet contractio=nem celeriorem distensione. Internæ etiā quietis tēpus, erit prolixius multo: externæ uero breuius, eo quod properat facultas ad contractionē: quam, qđ maiorem cōficit distensione, propterea diutius in ea conficienda remoratur. Docuimus aut̄ antea, internam quietem continere tēpora partiū utriusq; motus, quæ sentiri nō possunt. hæc in hoc affectu prolixius producuntur, tum ob distensionem tardam, tum ob contractionem magis productam.

Decimus. Cor in æquali intemperie affectū, profert in æqualitates, quas declarauimus lib. 3. ubi causas dicrotorū examinauimus: in æqualitates inquā, magnitudinis, celeritatis, crebritatis, uehementiæ. Quia uero similes etiam prodire docuimus ex ob=structionib. cōpressionibus, repletionibus interioriū uasorū: quare ex intēperie nē in æquali cordis, an ex ijs alijs quas recēsuimus causis, in quopiā corpo=re, hæc prodeat in æqualitas, dubitabis. Sed si nec peripneumonia adsit, nec empyema, nec pleuritis, nec phthisis, nec asthma, nec catarrhus, nec cruentū sputum, nec corpus crassis et uiscidis humoribus in-

fartum, aperta tibi erit significatio, cor in æqualem  
occupasse intemperiem. Quæ quoniam duplex est,  
altera in cordis solida substantia, altera in ipsius  
humorib. hæc cū totius cordis tremore fit, illa absq;  
tremore. Atq; hæc tibi signa distinctionis sunt.

Vndecimus: Cor siccus, quam natura exigit, al-  
terat unā secum arterias, durosq; faciet pulsus: hu-  
midus uero, molles. Quod si arteriae ex se quidem  
humidæ sint, quoniam humidis sunt repletæ succis,  
cor uero siccum: necesse est, ut arteriae participant  
cordis affectionem, iuxta præceptum antea tradi-  
tum, et prouenient tum pulsus mollicie mediocres,  
quia affectio arteriarum ex humiditate & siccita-  
te conflata, media est.

Vt autem hæc tibi tenacius memoria hereant,  
subiecimus tibi omnium breuem hunc epilogum.

1 Cordis substan 5 Cordis substan 9 Cor frigidum  
tia calida. tia frigida. fumosis ua-

2 Cordis conten 6 Cordis contē= poribus rea-  
ta calida. ta frigida. dundans.

3 Cordis cōtentā 7 Cordis conten 10 Cor inæqua-  
calida cū ar= ta frigida cū li intempe-  
terijs frigidis. arterijs calid. rie affectum.

4 Cordis substan 8 Cord's substā= 11 Cor humidū  
tia calida cō= tiafrigida, cō uel siccum.  
tēta frigida. tenta calida.

IN FEBRIBVS QVI SINT PVL-  
sus. Cap. 13.

**Q**via febres primariae sūt cordis affectiōes,  
operā p̄cīū ergo fuerit de ipsis hoc loco  
differere, quomodo scilicet ex pulsib. optimē p̄-  
sentiātur. Distinguuntur autē febres, caliditatis subie-  
cto. Nam aut cordis solidan substantiā, aut humo-  
res, aut spiritus accendunt. A' quopiam enim horū  
semper incidit febris: & nisi salus p̄euenērit, reli-  
qua duo genera progreſſu temporis simul afficit.  
In spiritibus ergo ephemerae, in corpore cordis he-  
cticæ, in succis humorales consistunt.

Ephemerarum pulsus sunt, quos soli usū aucto-  
docuimus esse peculiares: magni scilicet, celeres, &  
crebri. Quod si in primo statim febris exordio, &  
grotto astiteris, & pulsus magnitudinē statim exo-  
riri cōpereris: scitò nō aliū esse febrē, quam ephe-  
merā. febris etenim à magnitudine pulsus incipies,  
ephemera est. Hec quia facultati parum incommo-  
dat, uehementiam motus à pulsu non adimit, nisi  
per accidēs, dum uel in stomacho humorem aliquē  
mordacem reperiit, uel copiosum cibum, uel phle-  
gma: uel si ex causa aliqua debilitate, qualis est moe-  
ror, fuerit exorta. Ex se uero nec facultatē, nec in-  
strumentum lēdere potens est.

Hecticarum pulsus sun: parui, celeres, crebri,  
languidi, hectici. In febribus enim hecticis non una  
tantum causa pulsuum synctica, usus scilicet, immu-  
tatur, sed due. Nam & facultas ob intemperię cor-

dis ægræ ualeat, & usus augetur. Propterea ut aucto-  
usui satisfiat, celeritas & crebritas presto adest:  
affecta autem facultas non sinit fieri magnos, &  
uehementes.

Humorales febres omnes tres causas synecticas  
immutat. nam nō solū augetur neceſſitas ex caloris  
intensione, sed etiam instrumenta inconcinna fūt  
ex humorum affluxu, & facultas adteritur ex ua-  
rijs occasionibus: quapropter qui pulsus sint ea-  
rum proprij, non est facile edifferere. Galenum  
perstringebant quidā medici (ut scribit in libello,  
cui titulum dedit de Libris proprijs, eo loco ubi agit  
de libris prognosticis) quod in libro de Pulsis  
bus ad tyrones, febriū putridarū proprios pulsus  
non depinxerit. Ac fortassis ipse Galenus, quibusdā  
hac in re, non bene sibi constare uideri posset, eo  
quod nunc hos, nūc alios febriū putridarū cēset es-  
se proprios pulsus. Libro enim ad Glauconē pri-  
mo, capite de Ephemeris, & capite alio de Signis  
quartanæ, omnib. febribus putridis docet peculia-  
rē esse pulsum cum singulari in æqualitate in una  
parte arterie, qui scilicet in uno motu non æquali-  
ter distenditur, sed uelocius in principio & fine di-  
stensionis, quam in medio: qui à Græcis ἀριστος  
χυσ, à Latinis impar citatus nominatur. hoc idem  
sentit, scribens ad Tyrone, ubi agit de pulsu phre-  
neticorum, uerba eius sunt hæc: Etenim febriū pro-  
prium

## Liber quintus.

331

priū celeritatis symptomā hic obtinet clarissimē,  
in utroq; termīo distensionis, præcipue externo.  
Hoc idem in libro de Præcognitione ad Posthumū,  
tacite insinuare uidetur, dum minimas differentias  
pulsuum summo semper studio se in febribus obser-  
uasse fatetur. Diuersum uero scribit in libro de  
Differentijs febriū primo, capite septimo: propriū  
atq; inseparabile docens esse febrium, quæ in hu-  
moribus accenduntur, uelocitatē submissionis pul-  
suum, Græci systolen uocant: quæ manifestius qui-  
dem in crescentibus febribus, non obscure tamen  
incipientibus ac consistentibus deprehenditur:  
quod nec in ephemeris, nec in hecticis appetet.  
Confirmat hoc idem in libro de Præcognitione ex  
pulsibus tertio, non procul à fine, ubi ait: Perpe-  
tuum hoc & præ ceteris proprium febri ex pu-  
tredine ortæ, ut arterie contractio celerior effici-  
atur: & si quis in cognoscenda contractione est e-  
xercitatus, perpetuum hoc & constans initij ac-  
cessionis signum habebit, ubi robore aliquo, ut fre-  
quenter admonuimus, pulsus prædictus sit. nā in lä-  
guidis cōtractionem docuimus dignosci non posse.  
Ut uero non hæreas, sed quod certum sit teneas,  
nos tibi breuiter proprios pulsus febriū putrida-  
rum elucidabimus, simul & initij accessionis ea-  
rum. Scias igitur, calorem hecticarū & ephemera-  
rum febrium, dum simplices sunt, & sole, purum  
esse,

esse, licet sit diuersus à nativo : & solum exposcit refrigerium, quod distensionem docuimus suppeditare. At putridarum calor est fumosus: qui cum requirat etiam refrigerium, tum uero maxime fumosorum: ex fuliginosorum excrementorum expulsionem, quod munus est contractionis. Quare distensionem faciet quidem celeriorem, sed contractionem longe maxime: atq; ita rhythmum in pulsu destruct, facietq; inæqualem. multo enim contractio erit celerior, quam distensio. cum hoc uero externa quiete pulsus erit crebrior in putridis febribus: properat enim facultas ad contractionem, nec cupit remorari peracta distensione. Adebat etiam talis rhythmus, & talis crebritas febribus ex inflammatione seu phlegmone natu: sed duricies ex tensione arteriaæ eas discriminat, quæ in putridis alijs febribus non reperitur. Iam nihil obstat, & impares citatos pulsus in febribus putridis nasci, quos Galenus saepius propriam febrium inæqualitatem esse asserit. Si enim bene nosti causas eorum, quas libro tertio descripsimus, compries eas nonnunquam in putridis febribus, & earum pulsus, præsertim in incremento febris. nam initio paroxysmorum non facile est eos deprehendere, eo quod paruitas distensionis ipsos obscurat. Docuimus enim, impares citatos magnos esse oportere, ut sentiantur. In summa, rhythmii inæqualitas, &

## Liber quintus.

333

externa crebitas, proprium est signum & inseparabile febrium putridarum. Impares uero citat pulsus, proprium est etiam earum signum, sed separabile: quoniam nec semper, nec omnibus inest. Et haec est dictorum Galeni, quae antea in medium protulimus, conciliatio.

Initio paroxysmi febrium putridarum, celeritas contractionis primò expullulat cum crebitate externæ quietis: & hoc est perpetuum initij signū. In incremento augetur eadem celeritas. incipit magnitudo distensionis, & crebitas interna. In uigore seu statu succensis humoribus, feruescentibusq; increscit celeritas distensionis pariter & contractionis cum crebitate, tam externæ quam internæ quietis. In declinatione diminuuntur haec omnia, ac quum ad remissionem uētum est, tum planè dispercereunt, præsertim si ad perfectam integritatem æger redierit.

Licet autem omnes febres putridæ, propter auctum calorem, necesse est ut edant pulsus in augmēto paroxysmorum, magnos, celeres, crebros: tamē pro diuerſitate humorum qui putrescunt, non ex æquo tales sunt. Bilioſæ enim febres, habent pulsus magnos, celerrimos, creberrimos, aliarum comparatione. Melancholicæ minores, tardos, rariſſimos, respectu aliarū. Phlegmaticæ minimos, & quæ tardos ut melancholicæ, sed non æquæ raros, molles.

les. Magnitudine igitur & celeritate excellit alias febres cholERICA, paruitate & mollicie plegmatisCA, raritate melancholICA. Quod uero dixit Galenus in libello de Typis, paruos esse pulsus tertianum: id non sit ratione febris, sed ex alia occasione, de qua statim dicetur. & paruitas illa initio sit paroxysinorum, ac citò desinit, ut docet libro secundo de Differentijs febrium.

Hæc sunt ergo pulsuū immutatiōes febrib. putridis propriæ, quatenus febres sunt. nā ex alijs occasionibus reperiuntur multo plures, occasions aut istæ sunt.

Prima: Solēt in febribus putridis initio accessionum, materia frigidæ ad cor confluere, quæ obtrūt & suffocant calorē innatū cordis. Quēadmodū si ligna multa uida, quæ non facile succendantur, in modicum ignem cōiçis, parum abest quin illum extinguis, statim à principio. Quid si non extinguitur, sed restiterit, paulo post succendere totam struem lignorum incipiet, caloremq; generabit, primò fumosum, tandem etiam flameum: à flamma uero excernitur non tam fumus, quam fuligo, quæ in sublime fertur, deorsum uero cinis & fauilla. Sic in febribus putridis, dum multitudo materiae frigidæ, initio accessionis, coadceruatur ad cor, periculum imminet suffocationis caloris & mortis: quare tum paruitas, tarditas, et raritas pul-

sue

suum exoritur: quod si simul & insignis languiditas adsit, difficile est mortem evadere. Si uero non adeo sint languidi pulsus, sed qui renitentem indicant facultatem, futurum est ut natura contendat superare & explodere frigidam illam materiam a corde: & incipient tum arteriae maiori, celeriori & crebriori motu uti. manifestior tamen erit celeritas contractionis, quam distensionis, ex ea quam ante diximus, causa. tunc uero augmentum erit paroxysmi, in quo sumi multi, thoracis expiratione, & arteriarum contractione ejciuntur. Successu tandem temporis, dum flammeū calorem putrens materia acquirit, uigor est paroxysmi: quo tempore excrementa fuliginosa, tam respiratione, quam contractione arteriarum extra efferuntur. que uero sunt instar cineris et fauillae crassa, ampliores meatus petunt, quibus educuntur: sunt uero haec sedimenta urinæ, que ex uasis excernuntur.

Secunda occasio mutationis pulsuum in febribus putridis est, ex affluxu humorū ad os ventriculi, seu stomachum, qui initio accessionū, uel paulo post, si acres sunt, uellicat eius tunicas: si uero crassi & multi, grauant & opprimunt: inde nauseæ & vomitus, quorum ratione prodibunt pulsus, quos antea affecto ventriculo, docuimus esse peculiares.

Tertia occasio est ex recessu spirituum, & sanguinis ab externa superficie, ad uiscera: unde obstructio-

structiones, compressiones, repletiones, refrigerationes arteriarum nascuntur; propter quas necesse est, in initijs talium accessionum inæquales annymos fieri pulsus.

Quarta occasio est ex importuna cibatione uel potionе, quæ male habet uentriculū initio paroxysmi: quæ etiam suos pulsus profert, grauationi, uel corrosioni, seu mordicationi debitos. De irac alijs animæ perturbationibus, & corporis motibus hic fileo: quæ manifeste etiam pro sui ratione, pulsus in febris immutant.

Quinta occasio est, si initio accessionum nihil horū quæ ante diximus adfuerit, sed materiæ quæ putrent, quietæ sint, delitentes in locis suis, solū calorem cordi cum uapore porrigitentes. Prima pulsum alteratio erit in magnitudinem & celeritatem, sed tamen non sine rhythmi inæqualitate. hæc enim omnibus putridis febris semper adesse oportet. Succedit tandem & crebitas augescente calore. Latentes sunt & occultæ talium febrium accessiones, quas Galenus libro de differentijs febrium primo, eo loco ubi de cognitiōē hecticarū tractat, æθλιτas èπισημωσιας, id est, incompressas annotationes, priscorum medicorum uocabulo nuncupat. Hæc multis imponunt medicis falsa hecticarū specie deceptis: nonnullis autem febrem abesse sibi persuadentibus, eo quod nullū extrinsecus eius sit

gnum appareat, nec horror, nec externarum partium refrigeratio, neque ulla obdormitatio, nec os ciositas, nec caloris ulla inæ qualitas. Dixi boni, quod ægrotos tali febre nos perisse uidimus, quæ aliquando erant solæ, aliquando quartanis complicatae. Quia uero quartanæ, quantum ex ipsis est, haud quaque sunt periculose: idcirco ægroti nihil aliud quam quartanam cogitantes, securi edebant, bibebat, more quartanariorum: tandem præter suam opinionem peribant.

Sexta occasio est, uenenosa qualitas (de illarum ordine quæ στοματικὴ δύναμις à Græcis, id est, spirituales facultates appellantur: nostri uocant cæcas, alij occultas uirtutes) quæ totius substantiæ proprietate deleteria est, & aduersa. hæc aliquando humores in uasis inquinat, uiresq; omnes, præcipue uitales infringit. Hinc arteriarum pulsus minor & imbecillior fiat necesse est: tanto autem celerior & crebrior, quanto magis fuerint uel minus putridi inquinati humores: facile enim putreficunt. Pestilentes sunt huiusmodi febres, quæ ut plurimum carbunculis, uel bubonibus se insigniunt, & cor, hepar, cerebrum in furiam uertunt, & exagitant. Propterea uero diximus Ut plurimū, quoniā si hæc uenenosa qualitas in substantiam cordis primò infilierit, eiusq; corpus depascatur & putrere cogat, facit non humoralem, sed hecticam febrem

pestilentiale. In qua ægroti negant se febricitare, licet febris, occupato cordis corpore, planè confirmata redditur, et semper sui similis. Etenim februm hecticarum duo hæc sunt propria signa, si perpetuò sui similes sint, nec initium accessiōis, nec augmentum, nec uigorem, nec remissionem habeat: nec febricitare se percipiat ægrotus, eo quod febris sit ueluti habitus. Tales uero innumeræ uidere est, etiam nostra tempestate, grassante per totam sere Poloniā peste: licet etiā et illæ priores, quarū manu in humoribus est, non paucæ reperiātur. Quod si deleteria hæc, id est, uenenoſa qualitas, primò in spiritibus hæserit, eosq; deuastauerit, erit tū febris pestilentialis, ephemera, seu diaria: qualem ego in meipso sum expertus, dum Cracouie peste correptus fuīsem, iam ante complures annos. Tales etiam in lue illa, quam sudorem Anglicum vulgo uocant, sæpiissime comperiuntur. Sed ut rem paucis concludam, febres pestilentiales aliquando sunt hecticæ ( quæ etiam tempore Galeni contingebant, ut ipse in libro de Differentijs pulsuum primo testatur ) aliquando ephemerae, aliquando humorales, et nunc simplices, nunc cum alijs commixtæ, uel complicatæ. Sequitur autem uenenosam et pestilentem hanc qualitatē, putredo corruptionis opifex. In omnibus autem febris pestilentialibus, propter ferocitatem spiritualis efficacie, quæ infrigit

## Liber quintus.

339

git uires, necessariò fiunt pulsus parui, languidi:  
tantum uerò celeres & crebri, quantum urget au-  
cta caliditas, & permittit facultas. In ephemeras  
tamen, & humoribus febribus pestem redolenti-  
bus, reperitur pulsus minus languidus, imò sic satis  
aliquando robustus, qui dat spem bonam salutis: ta-  
li aut̄ peste correpti et febrem se habere percipiūt,  
& non æqualiter per omne tēpus febricitant. Hinc  
facile est soluere illa problemata, quæ in febrib. pe-  
stilentialibus obijci solent. Quare in peste urinæ alè  
quando sunt turbidæ, aliquando tenues, aliquando  
sanis similimæ. Quoniā febris pestilentialis hectica  
uel ephemera urinas non alterat, humoris uerò  
dat turbidā, si grossi nimiiū, bulliant humores: tenu-  
em uerò, si fuerint crudi. Quare in peste affectis  
pulsus celeritate & crebritate, uel magnitudine et  
celeritate, aliquando fiūt moderati. Quoniam cor  
& arteriæ cōtrarijs nōnunquā alterantur modis:  
uel quia facultas est imbecilla, & usus auctus. Due  
autem causæ contrariae immutatrices pulsuū, mode-  
ratos efficiūt motus, ut priore capite abundè decla-  
rauius, et alijs libro tertio. Hæc nos de febribus  
pestilentialib. paulo prolixius tradidimus, quoniā  
scimus uarias esse nostrorū medicorū de ijs opini-  
ones. Quidā eas ex substantiæ cordis putredine so-  
lummodo nasci autumant. Alij profundā, sordidā,  
ac tenacem humorum putredinem esse contendūt.

z z Varij

Varij uarias scribunt scopas dissolutas. falsum enim à uero discrepat, uerū uero semper consonat.

PARTES ALIAE CORPORIS  
præter cor affecta, quos faciant pulsus. Cap. 14.

**D**iximus, quos edat pulsus cor affectum: restat ut agamus de alijs quoque corporis nostris partibus, quae sunt, cerebrum, membranæ eius, musculi temporum, fauces, gula, collum, spatulæ, brachia, ulnæ, manus, palmæ, pulmo, membranæ thoracis, thorax, musculi eius, uentriculus, hepar, lien, intestina, renes, uesica, uterus, testes, membra uæ testium, coxa, tibiæ, plantæ et aliae. Circa haerò obseruandæ sunt in primis aliquot regulæ.

Prima: Pulsus totius corporis non immutantur ex parte aliqua affecta, priusquam cordi communicetur lœse partis affectio. Nihilominus tamen, licet non communicetur, nonnullarum, præsertim uicinarum et colligatarum arteriarum pulsus immutari possunt.

Secunda: Partes diuersæ nostri corporis, pulsus similiter ex similibus causis immutant. Nam recalcitæ reddunt singulæ pulsus aucto usui, refrigeratæ diminuto peculiares, siccæ duros, humide molles: compresæ, repletæ, obstructæ, inæquales faciunt: propter tumores uerò, et apostemata, singulæ tensos.

Tertia

## Lsber quintus.

341

Tertia: Licet autem partes diuersæ similiter ex similibus causis immutent pulsus, aliæ tamen alijs plus uel minus manifestè: propterea quòd non omnes ex æquo ad omnes pulsus aptæ sunt. Partes enim aliæ sunt natura duræ, aliæ molles, aliæ dense, aliæ rarae, aliæ multis & magnis uasis præditæ, aliæ paucis & exilibus: aliæ exquisitum sensum habent, aliæ hebetem, aliæ sunt proximiores cordi, aliæ remotæ, aliæ alijs symptomatibus obnoxiae: et pro diuersa horum omnium participacione, manifestius uel obscurius pulsus alterant. Sed ista exemplis declaremus.

Pulmo recalcatus, corde compatiente, facit pulsus magnos, celeres, crebros: refrigeratus uero, paruos, tardos, raros: exsiccatus, duros: humectatus, molles. & hi sunt ex simplicibus intemperaturis, ex quibus collige compositarum pulsus. Quod si diuersores extiterint hæ pulmonis intemperies <sup>meas</sup> est, ne temperamentum cordis alteretur, & deisciatur facultas: unde necesse est paruos & languidos pulsus fieri. Idem ueremur & ex cæteris cor affidentibus membris. Pulmo humoribus repletus plusquam uires ferre possunt, facit pulsus inæquales, plus minus: plus, si crassi, copiosi, uiscidi sunt: quoniam hi plus gravant, obstruunt & comprimunt: minus, si tenues, & pauci existant. Iam fluxiones ad pulmonem ca-

lidæ, facient tales pulsuum differentias, quales sunt  
ex intemperatura calida: frigida uero rheumata,  
quales ex defectu caloris fieri consueuerunt. Sed si  
fluxus non tantum suis qualitatibus arterias affici-  
ant, sed simul etiam oppleant, uel obstruant, uel  
grauent, prodibunt etiam inæquales pulsus. Si  
asperæ arteriæ pulmonis oppleatur, uel obstruan-  
tur, uel cōprimantur, spiratio fit difficultis, sed pul-  
sus inde durus non erit. At si lœues, quoniam hæ  
cordi, & toti corpori sunt communes, durū opor-  
tet fieri pulsus, propter tensionem, ac inæqualem:  
sed spiratione impediri necesse tum non est. Oede-  
mata pulmonis, quia arteriarū tunicas humectant,  
molles proferunt pulsus: inflammationes uero &  
tumores siccii, tensos & duros.

Thorax ijsdem modis immutat pulsus: sed quia  
remotior est à corde quam pulmo, idcirco minus  
manifeste. Adfectus musculorum eniā, nequeunt  
facere inæqualitatem pulsuum ligatariam longè  
distant à corde, & paruis uasis cum eo sunt coniuncti.  
Tunica costas succingens, quia densior est  
quam pulmo, si quando male habet, tensos facit pul-  
sus, & ex tensione duros. Et inde est quod in pleu-  
riticis multo magis tensus est pulsus & durus,  
quam in peripneumonicis.

Hepar licet remotum sit à corde, perueniam ta-  
men cauam, quæ magna est, multum illi com-  
munis

municat: quare manifesta est ex intemperiebus eius pulsuum alteratio. Phlegmone hepatis duros ob tensionem facit pulsus, magis quam pulmonis. mollis enim est pulmo, & rarus, hepar densius & durius: excellentior tamē est multo duricie pulsuū, inflammatio membranarum thoracis, quam hepatis.

Ex scirro hepatis, sicut & lienis, duri fiūt pulsus, nō tamen cōulsui. Quod si hydrops accedit, ut solet, humectabit arterias, eritq; pulsus cū signis utriusq; affectus, mollior propter hydropem: sed non absq; tensione, propter scirrum.

Diaphragma facile sua mala cordi cōmunicat, per ramos uenae ex cāua enatos, nec procul distat à corde. Ex nullo alio membro, tensio maior in pulsu nascitur, quam ex affectu partis quaē in me-  
dio est diaphragmate, quaē membranosa est, & sua sponte dura & densa, ulteroq; tenditur cōtinuo mo-  
tu, sed multo magis in tumoribus & inflammatio-  
nibus. ob tensionem uero eius nimiam, nimia quoq;  
duricies prouenit: ob duriciem paruitas, ob parui-  
tatem insignis crebitas, si calor urget.

Vetriculi intēperies, affluxus, & tumores ad fun-  
dū, more aliorū membrorū uariat pulsus. Oris ta-  
mē eius tumores, duros insigniter faciūt pulsus, nō  
adeò tamē ut diaphragmatis. Licet enim os uetricu-  
li, & intermedia pars diaphragmatis, magnitudine

neruorum & multitudoine non differant; molliores tamen sunt nerui stomachi ex cerebro exorti, & carnosâ magis substantia membris: quamobrem tensione & duricie cedit diaphragmati, non aut cibritate, quæ non tantum propter paruitatem ex duricie prouenientē nascitur, quantū ex doloris molestia. Sunt enim oris uentriculi nerui, exquisitiissimi sensus: quare dolores eius facile defatigant facultatem. Nec minus ægræ fert hæc particula copiam humorum, si quam sustinet: sed grauatur facile, & pulsus reddit inæquales. Quod si præter hæc resolutatur uirtus cordis ob compassionem, apparet bunt parui, crebri, & languidi.

Uterus & uestica loci distantia non differunt: sed durior est interna uesticæ membrana, uterus mollior, & multo pluribus ac maioribus uenis & arterijs intextus. Intemperies igitur uteri siue augeant usum, siue diminuant, multo magis alterant pulsus in omnibus quinq[ue] generib. Sed uesticæ affluxus, tumores, inflammationes, ob partis densitatē innatam, & duriciem, produnt manifestorē multo tensionem, quam uteri. Licet autem uterus & uestica, quod nervos adtinet, parè naturæ gratiâ sint accepta (æquales enim nervos, à sexto pari cerebri extortos, & ramis aliorū ex spinali medulla propagatorū cōplicatos, utriq[ue] mēbro natura inseruit, exæctoq[ue] sensu, præsertim cervicē utriusque donauit)

quis

Quia tamen densior est uesticæ substantia, & du-  
rior, uteri rarius & mollior: densa autem corpora  
& dura impactis humoribus magis punguntur  
(quia nihil cedunt) & tenduntur, proinde maior  
dolor est uesticæ, & citius facultati officit, quam  
uteri dolor.

Reliquorum membrorum nutritioni seruienti-  
um pulsus, ad normam prædictorum estimabis, ob-  
seruatis regulis antea datis: in quarum examina-  
tione, circa partes corporis superiores, nos etiam  
exerceamus.

Cerebrum, membranæ eius, musculi temporum,  
licet unius capitis partes sunt, non unum tamen  
symptoma, sed plura, singillatim edunt in morbis  
suis diuersis: quapropter diuersas necesse est etiam  
subsequi pulsuum differentias. Ac calidæ eorum in-  
temperiei proprium est symptomà πέραφροσύνη,  
id est delirium: frigidæ οὐεία, id est, fatuitas: humi-  
dæ, coma, id est profundus sopor: siccæ, ἀγυπνία,  
id est, insomnietas: calidæ simul & siccæ, delirium  
cum uigilijs: calidæ simul & humidæ ἀγυπνόν νό-  
μα, id est uigilans sopor cum delirio: frigidæ simul  
& siccæ catalæpsis, quam uulgus congelationem  
uocat, cum fatuitate: frigidæ simul & siccæ, caros,  
seu subeth cum fatuitate. In calida igitur horum  
membrorum intemperie, comperies pulsus aucto-  
usui peculiares, quos antea descripsimus. In frigida

Sphygmicæ artis  
diminuto usui debitos. In humida, molles cum alijs,  
que sopori debetur difficeretis. In siccæ, duros cū alijs,  
quos insomnias sibi uendicat. Cōpositarū ue-  
ro intemperierū, ex simpliciū natura pulsus metie-  
ris, affluxus, inflammatiōnes, tumores harū partium,  
tensos et inæquales faciūt pulsus, instar aliarū: non  
desunt tum et deliria, uel spasmī, uel sopores, secun-  
dū humorū qualitates. Muscotorū autē temporaliē  
inflammatiōnes carēt ijs symptomatibus, nec febrem  
accidunt, nisi fuerint supra modū magna. lōgē enim  
absunt à corde. Affluxus et tumores ad tunicas cere-  
bri, comitātur manifestæ tensiones pulsiū, et durici-  
es. Substatiæ cerebri inflammatiōnes, molles edūt pul-  
sus, et undosos: quoniam pars hæc rara est, et humi-  
da, nec mirum, quod et magnos proferūt, si ea que  
antea docuimus meministi. Quāuis autē humida ha-  
rū quas recensuimus partiuū affectiones, molles ge-  
nerēt pulsus, siccæ duros, siue cū affluxu humorum,  
siue sine affluxu, molliores tamē multo erunt in hu-  
midis affectibus cerebri, quam membranarū. Neq;  
ex cerebro & pulmone inflammato perinde duri-  
proueniunt, sicut ex membranarū inflammationi-  
bus. ratio in promptu: quoniā hæ natura siccæ sunt,  
et dure: illa uero, humida et mollia. Corpora autem  
suapte natura dura, si indurantibus affectionibus  
corripiantur, maximam adipiscuntur duriciem: que  
uero natura sunt mollia, si in humectantes incident  
morbos,

morbos, nō solū madēt, sed flaccescūt etiam. Si uerò dura in mollificātes, mollia in indurātes, nō adtin- gent supremū alterationis gradū. Præstat et hoc sci re, arterias affectaē parti propinquiores, multo esse capaciores alterationū pulsus, q̄ quæ remotius di stāt. Proinde cerebri affectus frigidū, ut exēpli grazia dicamus, magis indurabunt arterias iugulares, quas in collo adrectamus, q̄ quæ in carpo manus sunt: sed tamē has magis, q̄ quæ in plantis pedū exi stūt. Affectus aut̄ frigidū illi tantū indurāt arterias, q̄ excellenti supra modū frigiditate pollēt: alioquin frigiditas nō adeo efficax, indurare nequicq̄ potest.

Ex muscularū abdominis inflammatione, si ma gna est, exoritur febris: et pulsus inde magni, cele res, crebri, non tamen duri, quoniam partes sunt car nosæ. ex tibiæ uerò et ulnæ inflammationibus, duri manifeste, et tesi, ac etiā cōuulsiui, præsertim si ten dines afficiantur. Testiculorum inflammationes, quia uenas et arterias proxime à renib. magnas recipiunt, facile febrē excitant, ac pulsus magnos, ce leres, et crebros. Tunica testiculorū quæ erythrodes nūcupatur, peritoneo adnata, si fuerit inflama ta, duros, et proinde minores pulsus profert, et tensos: quia mēbranosa est, ac neruosa, minus taniē fe brem prouocat. Nā ad febris prouocationē, omniū aptissima sunt arteriosa membra, secundò uenosa, postremò neruosa, calidis affectionib. occupata.

**M**Orbi magni & acuti crisibus terminatur;  
parui uero & diurni, sine crisi paulatim superantur. Morborum acutorum futuras crises præsigire, medico honorem conciliat, & confidentiam apud ægrotos ac astantes. Signa futura crisis in morbo sunt, pulsuum inæqualitates et ataxia: que ostendunt facultatem copia humorum esse grauatum. Inde uero noctes fiunt molestæ antedicationes, deliria, cōmata, dispnœæ, uertigines, sensuum perturbationes: capitis, stomachi, colli, aliarumque partium dolores: aurium sonitus, uanus ante oculos splendor, inuitæ lachrymæ, urinæ suppressio, labij tremor, obliuio, & ingens quandoq; rigor, accessio consuetam horam præueniens, aestuatio immoda sitis inextinguibilis, nausea, clamores queruli, de cubitus uarij, proflitiones ex lecto. Tot & tanta futurae crisis indicia, spectantibus terrorem incitunt: & medicus indoctus, hac symptomatum tempestate perterritus, nescit quid ueritat sua confilat: ac cum ægroti amicis calamitatem deplorans, imperitiam pietate preterexit: prudentem uero, & docetum, haec non terrent. ex ijs enim crisi futuram esse colligit: & qualis futura sit, alijs signis inuestigat.

Ad futurae igitur crisis, haec que diximus, sunt  
indic

indicia: sed bene ne an male sit cœssura, alia signa in dicunt. Bonam crisi uenturā esse ostendit pulsuum inæqualitas, in qua plures sunt magni q̄ parui, plures celeres q̄ tardi, plures moderati quām crebri, plures uehementes quām languidi, cū rhythmis parib. moderatis uel celeribus. Reperiūtur et intercur retis, caprizantes, impares citati, q̄ fines motuum uehementiores et celeriores obtinet, myuri reciprociz ijs adde signa perfectæ coctionis in egestionibus, urinis, sputis. cum ijs enim, & talibus signis, nemo un quām perijt. Malæ uero uel imperfectæ crisis indica sunt, pulsuum inæqualitas & ataxia, in qua plures sunt parui quām magni, plures tardi quām celeres, plures crebri quām moderati, plures languidi quām uehementes, cum rhythmis imparibus. cōtractio enim longè superat distensionem celeritate. Inueniuntur tum & impares citati cum finibus motuum languidioribus, & tardioribus, myuri non reciproci, intermittentes, deficientes, non p̄euentibus signis coctionis in urinis, sputis, egestionibus: cum talibus signis nemo fœliciter iudicatur. Quod si extremit̄ sit languidus pulsus, et extremit̄ parvus, & in urinis ne minima quidem nota coctionis appareat, indubitatum est, ægrotum sine crisi moriturum esse, quem tot et tanta symptomata oppugnat. Acut rem paucis concludam, in acutis ægritudinibus, si p̄cedat inæqualitas pulsuum, & ataxia,

subse-

Sed quid est quod diximus, impares rhythmos, in quibus scilicet longè contractio celerior est distensione, malarum crisiū esse indicium: pares uero, in quib. scilicet contractio celeritate distensionem non superat, uel si quo modo superat, illud est exiguum, bonas crises significare? Quoniam sicut signa coctionis in urinis, naturam superiorē esse morbo indicant: ita rhythmī paritas, calorem naturalē superiorē esse calore putredinali commonestrat. Cōtrā uera rhythmī imparitas, dū scilicet contractio est distensione celerior, calorem fuliginosum, excrementiciū, sordidū uigere et graſſari annunciat, id qd' antea satis abūde declarauimus. Quæ aut spes boni adesse nobis potest? dū natura deuastatur, putridi caloris violentia & hæc ergo contractionis excedens celeritas portendit, simul autem & crudum esse morbū adtestatur. dixit autem Hippocra-

Lib. I. Epit. Concoctiones celeritatē iudicij promittūt, ceterum demion. tamq; salutē: cruda uero et incocta, et in malos accessus cōuersa, aut crisis defectum, aut dolores, aut diuturnitatē, aut mortē, aut reciduiss. Excretio enim lege naturæ fieri debet post coctionem: sic uen tris excretiones præcedentem concoctionem subsequntur. Quod si quæ cibi coctionem præcedunt, eas uel quia uellicat cibi, seu mordicat, uel quia de grauant,

grauat, cogitur natura ante tēpus exequi: haud ali-  
ter facultas totius corporis, posteaquam familiares  
succos cōfecerit, cōcoixeritq; in singulis partib. tum  
demum excrementa excernit: nisi quid importuné,  
ut diximus, eam irritet.

Illud uero silentio prætereundum non est, arte-  
rias duplēcēm habere vim expultricem: alteram na-  
turalem, quæ superflua nutrimenti excrementa ejus-  
cere solet, quæ plantis etiā inest, quæ in corpore hu-  
mano crises operatur: alterā uitalem, quæ fuligines  
seu sumos contractione expellit. hęc crīsum signi-  
ficatrix est in pulsibus, non operatrix.

Futuræ crīsis indicia diximus primo loco, secūdo  
bonæ et malæ: iam tertio dicamus signa uiarū, per  
quas iter factura est facultas in crīsi. Altus et uehe-  
mens, cōmunes notæ sunt multarū excretionū. Ma-  
gnus pollicetur sanguinis profluuiū per nares: un-  
dosis, si altus sit, sudorē: quemadmodū et mollis, cū  
altitudine. Durus uomitū, humiliis alui fluore. Plu-  
rimū refert callere signa alia præter pulsum, quæ  
solent antecedere quemq; naturæ impetum, quæ la-  
culenter conscripsit Galenus et Auicenna, ubi agit  
de signis crīsis futuræ per nares, uomitum, aluum,  
hæmorrhoidas, menstrua, urinas.

Si pulsus magnus sit, & uehemens, non præ-  
cedente inæqualitate & ataxia, non semper por-  
tendit excretiones. Altus semper quidem: sed  
si inæqualitas & ataxia non præcedant, modicas: si  
hero

uerò præcedat, copiosas. Copiæ enim humorū gra= uantis comes est inæqualitas, & ataxia.

Crises quæ non fiunt absq; pugna & periculo, præcedit inæqualitas pulsuum: neq; tum deserit, quum peraguntur. ac tanto magis innotescit, quum biliosi humores confluent ad uentriculum, perstan tibus etiam uomitus indicijs ( quæ apud Hippocra tem & Galenū reperiuntur ) tum enim adsunt mordicationes & grauationes. Post crism saluta rem & perfectam, pulsus recuperant debitam me diocritatem, & equalitatem, ordinem: post malas ue rò & imperfectas crises, sentimus inæqualitatem, ataxiam, paruitatem, languiditatem pulsuum: quæ si excellant & perseverent, periculum imminet syncopes.

#### IVDICIVM DE SALVTE ET morte ægroti. Cap. 16.

**S**atis superq; laboratum est à multis & egre sijis medicis, ut certa aliqua methodo doctrinam tráderent, qua freti possumus ueras proferre sententias de salute aut morte ægrotorū. Et aliqui ex solis urinis, aliqui ex solis pulsibus, aliqui ex uul tu ægrotorum putant uitam et obitum ægrotorum posse cognosci: sed multum & turpiter decipiuntur. Galenus uerò paulo artificioius tractans hoc negotium, iubet considerare morbum, & facultatem. ijs enim ad se inuicem collatis, futura presen timus,

## Liber quintus.

353

timus, inquit. & si facultas est sustinendo uigorem morbi, oportet superstitem hominem esse: si uero sit impar, moriatur necesse est. Pulchra hæc quidem doctrina est, sed tam obscura, quam breuis, & qua nemo hucusq; asscutus est quod optat. ars enim non est, sed principium artis Prognosticæ: quale est illud Therapeuticæ, Contraria contrarijs curantur.

Auicenna præter hoc admisit plura alia præcepta, ex diuersis diuersa signa colligens, quæ dum medicus contemplatur, defatigatus nescit quò suu uerat ratiocinium: spaciatur errabundus in sylua, quod non in ijs saltē, sed in multis alijs cōtingit, quæ absq; methodo traduntur. Ego non sum tantum, (licet in arte medica, & eius operibus uersandis cōsenuerim) ut audeam aliquid polliceri præstatiū, quod à maioribus nostris sit prætermissum. Quia tamen notū est lippis & tonsoribus, mea Prognostica uera esse ubiq; ita ut abierit in proverbiū apud multos, Quem Sthruthius morti adiudicat, moriendum est illi certò: cui salutem promittit, euā det: dicam libere quæ sentio, nec celabo quicquam quod alijs possit prodesse.

Quæsterūt à me cōplures studiosi medici, Quo artificio tua colligis de morte, uel salute ægroti prognostica, quæ admirationi sunt nobis, & in aliis principum p̄assim iactantur? Quibus ego ut ad rem respondeam, artem unā cum præceptis ostendō,

A do.

do, insinuatione quadam, proferens pentastichon  
hexametron, quo artis capita sum complexus.

» Iudex sum medicus, reus est ægrotus, amici

» Actores, ad sunt plures hoc ordine testes,

» Morbus, causa, locus, symptoma, innata facultas,

» Consimiles ægri, mos, motio, pharmaca, gestus,

» Iis cum lege fruor, uera hinc sententia fertur.

Quia uero non omnibus patent hec, que ijs  
exprimuntur carminibus, rogarunt quidam, &  
efflagitarunt etiam cum conuicijs, ut hæc singula-  
tim explicaremus, dilucidaremusq;: quod facturi  
iam sumus non grauatum. Ac illud in primis fate-  
mur, nos, quo facilius memoria mandentur, que  
damus precepta ( omnium enim meminisse oportet  
circa singulos ægros ) similitudine quadam uti in  
dicatorum, que iurisperiti exercent, antequam sua  
pro tribunali proferant decreta. Nam hæc est etiā  
una, præter alias, artificiose memorie ratio. Iā si  
cut ad proferendum iustum iudicis decretum, opus  
est actoris & rei, recto per totam causam proces-  
su: sic et ad dicendam ueram de morte uel salute  
ægri sententiam apud medicos, necessarium est, ut  
æger qui est loco rei, & amici ac astantes, qui sunt  
ueluti actores coram medico, bene per omni mor-  
bi cursus se gerant. Nam si non obedierit æger,  
si quid amici & adstantes, sua sponte, quia maleuo-  
lunt ægrotu, uel errore, uel rustica pietate, quia  
blanc

blandiuntur, & offerunt quæ nocent, delinquent, irrita redditur medici sententia, nec debitam consequetur executionē. Et hoc est illud quod dicit Hipocrates: Non solum seipsum prastare oportet opportuna facientem, sed & ægrum & aſidentes, & exteriora. Hoc uero primum esto huius doctrinæ præceptum.

In iudice, id est medico, hoc requiritur, ut bene sit instructus de omnibus quæ ad causam pertinet. Optimus autem instruendi iudicis modus est per testes, qui acciendi sunt decem, & diligenter examinandi, in tam graui de uita & morte negocio. Primus uero testis esto morbus ipse, seu morbi substantia. Pertinet uero ad morbi substantiam & magnitudo, seu uehemētia. Morbi enim alij sunt qui natura uel arte superantur, & salubres appellantur: alij sunt qui superant artem & naturam, qui lethales uocantur: alij nec superari planè, nec superare possunt, quos indifferentes recte nominaueris. Salubres sunt, febres diariæ: lethalis est apoplexia fortis, quam soluere est impossibile, debilem uero non facile. Cancros etiam occultos melius est non curare: curati enim citò pereunt.

Tertij uero ordinis sunt destillationes in senibus, podagra, calculus, epilepsia: iij nec occidūt, nec curantur, non tamen deserunt hominem. Vulnera uero, intēperaturæ, luxationes, fracturæ, et alijs

## Sphygmicæ artis similes morbi, salubres sunt, nisi insignem magnitudinem sint adepti: tum enim perimunt.

Secundus testis est causa morbi, quæ etiam diligenter examinanda est. Sunt enim ex causis quædam leues & benignæ, quæ testantur de salute ægroti: quedam perniciose, quæ exitium minantur: quedam indifferentes, quæ nec mortem portent, nec salutem pollicentur. Benigni sunt spiritus: & morbi, qui in ipsis souentur, salubres sunt. Perniciosa est atra bilis. nec abs re dixit Hippocrates, Dysenteria ab atra bile incipiens, lethalis. Indifferens est sanguis, & salubres alit morbos, licet longos. flava bilis, phlegma, melancholicus humor, sunt etiam indifferentes causæ, nisi supra modum redundent: tum enim adferunt perniciem.

Tertius testis est locus affectus: nam & hic uel salubrem, uel lethalem, uel indifferentem morbum esse testatur. Periculosi sunt morbi, qui principes partes, uel ab illis exortas, uel toti corpori ministrantes obsederunt. Salubres sunt, qui ignobiles & exteriores occupant. Ac quibusdam in locis idem morbus est salubris, in alijs idem lethalis, aut nunquam curabilis. Pulmonis ulcera, certum promittunt exitium: in alijs locis curantur. Scirri hepatis mortem adferunt: in membris alijs curantur, uel tutio gestantur. Cordis & diaphragmatis uulnera semper necem promittunt, crebri ut plurimi.

Thymores

Tumores articulorum, qui tophi appellantur, ad extremam usq; senectam hominem non deserunt.

Quum dissicatum fuerit os aut cartilago, uel nervus, aut genæ particula tenuis, uel præputiū: neq; augetur, neq; coalescit, ut dicit Hippocrates. Renū & uestīcē uicia in senioribus difficulter sanantur.

Vesica dissicata, inquit idem Hippocrates, aut cerebro, aut corde, aut septo transuerso, aut aliquo extenuioribus intestinis, aut uentriculo, aut iecore, lethale est.

Quintus est symptoma testis, socios habēs multos. Nam actiones diminutæ, corruptæ, ablatae, qualitates alteratæ, exentia immutata, eiusdem classis plurimi sunt testes. Leues autem tam qualitatim quam actionum, & exentium immutationes, salutem promittunt: mortem uero, si procul à naturali recedant statu. Huius ordinis sunt urinæ, egestiones, uomitus, sudores, pulsus, spuma, menstrua, haemorrhoides. Perniciose sunt urinæ, liuida habentes uel nigra sedimenta: uomitus sinceri, egestiones nigrae, pulsus formicantes, uermiculantes, deficienes, myuri non reciproci. Salubres sunt urinæ rufæ, cum hypostasi alba, laevi, & quali: egestiones subruffæ, nec admodum graue olentes, molles, constantes, opportune.

Quintus est facultas innata: cuius tres sunt species, animalis, naturalis, uitalis. Validæ facultates

Lib. 6. A.  
phor.

securitatem pollicentur, quoniam ipsæ morbos suæ  
perant & amoliuntur, naturæ morborum medi-

Lib. 6. Epi- catrices sunt, dixit Hippocrates. nihil autem inter-  
demion. est hoc loco, naturā an facultatem dicas, an uires.

Si in magno morbo, cum potenti causa, in nobili lo-  
co, cum malis symptomatibus, debiles uires sunt,  
mors expectāda est. Si uero & quale sit robur mor-  
bi, & naturæ pugnantis, inextricabile est malum,  
non tamen lethale. Virium naturalium robur &  
debilitas cognoscitur ex operibus, urinis scilicet,  
egestionibus, sputis, animalium ex motionibus &  
sensibus, uitalium ex pulsibus.

Sextum testimonium sumitur ex consimilibus  
& egrotis. Si enim nouimus liberatos quosdā aut pe-  
remptos in quaquam ægritudine fuisse, & contin-  
gat alios ægrotare simili morbo, cū similibus sym-  
ptomatibus, causis, cum paribus uiribus: recte pro-  
nunciabimus, futuros esse eorum exitus similes.

Septimus testis est mos, id est, bonitas, uel pra-  
uitas morbi. Sunt enī nonnullæ & gritudines mi-  
ties & benignæ: aliæ sunt maleficæ, quas Græci ca-  
cothus uocant. Mores, peculiariter, liberandus:  
ne an moriturus sit æger, ostendet. bonitatem autē  
& maliciam morbi, symptomata produnt & de-  
clarant: quæ omnia ferè Hippocrates in Progno-  
sticis enumerauit. Febres licet putridæ sint, si carēt  
symptomatib. mitissimæ sunt: malignæ uero, cū qui  
bus

bus nocuus se ingerunt accidentia. Paruae febres quandoq; ualde malignæ sunt, magnæ uero ex ar- dentes quandoq; sunt mites, licet stomacho angua- stiam & sitim excitent: dummodo nullum sibi ha- beant periculosem accidens adiunctum, quod facut tati plurimum officiat. Ad maliciam morbi spectal cæcæ qualitates, que uenenosæ & pestiferæ sunt, que clam labefactat uires, aut totius corporis, aut partis affectæ, sequiendo sua uirulentia naturæ no- stræ contraria. Mores ergo morborū benigni seu mites salutem, maligni uero mortem adportat, aut longissimam curationē: ulcera cacoetha, id est, ma- ligna, licet parua sint, ægre & cum longo medici- tadio curantur.

Octauus est motio, seu motus morbi, qui uel est uelox, uel tardus. uelocitatem autem et tarditatem metimus tempore. Tempora uero morbi sunt, prin- cipium, augmentum, status & declinatio. Velox est morbus, qui omnia tempora que recensui- mus, breui tempore absoluit. talis uero ad cri- sim citò properat: & si magnus est, aut acciden- tibus est imbutus sequitur, acutus solet à medicis ap- pellari. Tardus est morbus, qui in omnibus qua- tuor temporibus prolixitatem retinet. Velox est etiam morbus, cuius status alijs temporibus lögior est: tardus uero, cuius status alijs temporib. sit bre- uior. Ex omnibus autem. morbi temporibus statu-

præcognoscere, summoperè est adnitendum. nemo enim præsagiet, moriturus ne sit æger an non, nisi qui statum præcognoverit. Imò et futura ne sit crisi an non. sine futuri status indagatione nullus sci- et: nec uictus rationē, sine eius præcognitiōe, quis- quam recte constituet. Ac ijsdem signis apparen- tibus alter potest saluari, alter moriatur necesse est, ob statum: quia huic longè est expectandus, et interim prosternitur, et deficit facultas: illi citò ad- uenit, priusquā desatigentur uires. Qui sanari de- bent, eos omnes quatuor morbi ætates, id est, tem- pora omnia peragrare oportet: morituri uero, se- pe in statu et augmento deficiunt. Quare nō ab- re diximus, tempus futuri status summo studio no- bis esse indagandum et cognoscendum. Cognosci- tur autem partim ex morbi ipsius substantia. dixit

Lib. I. A-  
phoris.

enim Hippocrates, Consistentias morbi indicabūt. Partim ex comparatione paroxysmororum, in qua perpendimus quantum alius diffirat ab alio. Nam si posterior anticipat, et cum hoc sit longior et maior seu uehementior, incrementum morbi, non statum declarat: partim ex signis coctionis, que ap- parent in egestionibus, sputis, urinis: partim ex an- ni temporibus, regionibus, ætatibus. Nam hyber- no tempore, in frigida regione, in senili corpore, morbus frigidus tardi est motus. Aestate uero, in re- gione calida, in iuuenili corpore, morbus calidus.

## Liber quintus.

561

celeriter mouetur. Sed quorsum hæc dicuntur? quid  
testis octauus deponit? hoc scilicet, si æger morbi  
statum est pertransitus, sanabitur: in declinatio-  
ne enim uera, nemo morbi eiusdem ratione moritur.  
Si uero æger perdurare morbi statum nō poterit,  
(id quod scies, si morbum, causam eius, symptomata  
ta, cum uiribus ægroti ad se inuicem comparaue-  
ris) moriendum est illi certò. Ac quemadmodum,  
num oneri portando quis sit satisfactus, scire nō  
possimus, nisi grauitatem oneris, robur portantis  
hominis, ac uiæ longitudinem, prius perspecta ha-  
beamus: sic euasurus ne sit sub morbo æger igno-  
rabimus, nisi prius hæc quæ dixi, bene perspexeri-  
mus. nam ægri uires portatori, morbus uero cum  
suis causis et symptomatibus oneri, tēpus aut quod  
usq; ad statū extenditur longitudini uiæ respōdet.

Nonus est pharmaca, seu remedia. Qui enim  
morbi remedij facile cedunt, quibusq; non desunt  
optimæ quæque medicinæ, curantur, amouēturq;.  
Perimunt autem, uel immedicabiles remanent, qui  
à nullis uincuntur, & quibus desunt idonea auxilia.

Decimus est, gestus: quo nomine significamus  
ægroti decubitum, & quo nam modo se habeat se-  
cundum uultum, oculos, tempora, manuum gesti-  
cationes, & id genus alia. Hæc enim facilem uel  
difficilem ægroti tolerantiam declarant. Gestus si-  
miles sanorum gestibus, salutem promittunt: mul-

A 5 tum

tum uerò dissimiles, mortem. Vultus, quem Hippocraticum uocamus, eo quòd ab Hippocrate initio Prognosticorum sit descriptus, supinus decubitus, manibus & cruribus distensis, uel proliuis delapsò ad pedes corpore, lethales sunt. Sicut & denudare pedes, manus dispergere, hianti ore dormire, muscas frustra uenari, festucas colligere, pilos de ueste incassum euellere, aut de pariete stipulas, existiosa sunt.

Hæc uerò est horum testium inter se cōmuniō, quòd nō solū salutē uel mortē annunciant, sed etiā de se mutuò testantur quales sint. Nam symptoma ta produnt morbos, causas, uirium constantiā, mores, motum. Morbi uiciissim ostendunt quales habent causas, qualia habituri sunt symptomata, quām multum sint nocituri facultati, futuros mores, uen turum statū. Idem de alijs quoq; existimes. Nec est ullum apud Hippocratem & Galenum signum, quod tibi iij nō ualeant depromere testes. Imò que cunq; maiores nostri signa bona, mala, salubria, lethalia, critica, demonstrativa, prognostica p̄assim. & sine ordine conscripferunt, ea ad decem hec capita referas necesse est.

Sed quid est quod in postremo carmine dicitur, nisi cum lege fruor, uera hinc sententia fertur? Q[uod] n[on] est illa lex, quam adhibere censes, ad ferendas ueras de uita & morte ægrotorum sententias? Est lex

lex non una, sed plures, quæ moderantur medicum iudicem. Prima hæc est: Testium uires pluris pēden dæ sunt, quam multitudo. Contingit enim pauciora esse signa mortis, sed efficaciora: plura uero salutis, sed debilia. innitēdum ergo est paucioribus, sed præstantioribus. Secunda lex: Acutorum morborum non omnino certæ sunt prædictiones salutis & mortis: furiosæ enim sunt, & transmutabiles eorum cause, quæ ex nobilibus locis ad ignobiles, et ex ignobilibus ad nobiles facile permeant, suspensumq; animo medicum meritò reddunt. Praestat autem in talibus conditionales proferre sententias salutis uel mortis. Exempli gratia: Sanabitur hic æger, inquietus, si hæc perseverauerint signa, quæ nūc apparent: Ille uero morietur, si non aduenerint alia meliora indicia. In morbis uero alijs, qui furiosæ sunt, in quibus testium firma sunt testimonia, sententiæ has conditiones adiungere opus non est. Tertia: In diuinis morbis plus fidendum est pulsib. quam urinis: in materialibus uero, urinæ simul cū pulsibus obseruandæ sunt. Diuinos morbos uoco, in quibus spiritales plusquam primæ uel secundæ qualitates dominantur. & contingit sè penumero in talibus urinas uidere sanorum simillimas: ut sit in pestilentialibus febribus, in quibus certius est pulsuum testimonium, quam urinarum. Quarta: In morbis dubijs, id est, quos non exactè cognoui-  
mus,

mus, uel quorum causæ abditæ sunt, certa & uera  
medici sententia pronunciari non potest de salute  
& morte: quare differenda est, quanto longius fie-  
ri potest.

Percunctantibus igitur à me, qui nam sunt pul-  
sus ( quorum causa hæc omnia diximus ) mortis si-  
gna, aut salutis: respödere soleo, pulsus malos cum  
alijs testibus perniciosis lethales esse, bonos uero  
cum testibus bonis salubres. Non est enim idem om-  
nibus morictibus pulsus: alij asphyxiam habent, an-  
tequam moriantur: alij ad extreum ferè spiritū,  
pulsus habent sensibiles deficientes: alij non hos, sed  
creberrimos, & minimos, & languidissimos: alij  
myuros, alij intermitentes, alij impares citatos, a-  
lij formicantes, alij uermiculantes. In summa, aliis  
est lethalis pulsus huic, aliis alijs: pro diuersitate  
morborum, causarum, symptomatum, uirium. Ad-  
aptandi sunt igitur pulsui testes alij, quos recensui-  
mus: & diligenter examinandi, num ad morte pula-  
sui consentiant, uel ad salutem.

Porro dum imminente morte, cor ipsum uires  
desolant, primò moueri desistit conus ipsius, dein-  
de medioximæ ipsius partes immobiles redduntur,  
basis postea conquiescit, solis auriculis sese disten-  
dentibus et cōtrahentibus: quarū ultima distensio,  
est interitus uita. Hæc uero nobis in uiuentū ani-  
malium dissectis thoracibus sèpius uidere licuit.

ARCANA HOMINVM QVOMO-  
do pulsibus deteguntur. Cap. 17.

**S**i nescere cupias ex pulsibus, sint' ne aliqui obnoxij homines delictis, an immunes, de quibus sunt nobis suspecti, tangito eorum arterias: interea uero temporis perterrefacito ipsos uerbis tuis, asseuerando te certò scire ipsos non esse extra culpā. Si enim quis deliquit, incidet statim in animi perturbationem, timorem scilicet, uel micerorem, uel timorē simul cum ira. eas autē animi affectiones, conantur plurimi celare: sed pulsus detegunt eas, & produnt ipsiis inuitis. fūnt enim primò parui, languidi: postea inaequales anonymi, iam parui, iam magni, iam celeres, iam tardi, iam crebri, iam rari, iam uehementes, iā languidi, sine ullo ordine. Perseuerat autem ea pulsuum inaequalitas & ataxia aliquousq; nec citò disperit. Quare repetitis uicib. iterum atq; iterum tangenda est arteria, ut scias, citò ne sedetur pulsuum inaequalitas, & ordinis perturbatio. Sunt enim nonnulli natura timidi, qui ob quascunq; etiam leuiſimas occasionses expauescūt, licet sint innoxij. Sed talibus citò desinunt pulsuum innouationes: & sicut ex abrupto incipiūt, ita reuertē pereūt. illis uero lētē, q; culpæ sunt obnoxij.

Hoc uero ingenio celebrem se præstitit Erasistratus, dum ex pulsu amari nouercā à priuigno, cognouit. Eodem admirabilem se Romanis reddidit

dit Galenus, dum foeminam ciuem Romanam, Py-  
ladis iuuenis amore flagrare, ex pulsū percepit: dū  
etiam Cyrillum Boethi filium, alio, quām iussus fu-  
erat à medicis, cibo usum fuisse, manu arteriam tan-  
gens, uaticinatus est: quod qua industria prestitit,  
scriptum reliquit in libello de Præcognitione ad  
Posthumum. Neq; illud paruæ fuit admirationis,  
quòd Galenus diuitem quendam uafrum & arro-  
gantem, qui multos inficitæ solebat arguere, infici  
antē se medicamētū accepisse, mēdacijs corām in os  
notauerit, signo ex pulsib. accepto. Sed quid hæc  
profero? Donauit Deus optimus humano generi  
artem Sphygmicam, qua possunt secretiora quæq;  
rimari & explorare, callere etiam futuros homi-  
num euentus. Cui nos simul cum angelis, quibus i-  
psæ scientiam præteriorum, præsentium & futu-  
rorum ab initio indidit, gratias agamus, per IE-

S V M C H R I S T V M filium eius, Do-  
minum nostrum.

Sphygmicae artis libri quinti, & ul-  
timi finis.

M V R O A S T E R M A R K

ERRATA SIC E-  
menda.

Pag. 26. uers. 2. pulsuum ead. 11. inæqua-  
lis ead. 23. secundum 27. 16. priscis 39. 11. an-  
tiquis 44. 22. dis 45. 16. iupit. 94. 19. natan-  
tium 99. 1. inæqualitate 106. 1. scilicet 112.  
17. cognoscas 143. 21. pulsus 172. 3. frigidam  
190. 10. autem 195. 16. Hippocrates 197. 2. li-  
bris 205. 21. concoquere 220. 12. crebritatē  
228. 16. chirurgi 232. 15. indurescat 242. 2. ob-  
struunt 246. 11. dicrotum 249. 6. phrenitide  
254. 13. contrahuntur 258. 5. præfocatio 262.  
6. pulsus 308. 3. dexteritate opus 311. 23. in-  
tercurrents 312. 21. commonstrant 335.  
10. expiratione

RERVM ET VERBORVM  
memorabilium Index.

- A**ρρότυτις 119 mixtæ, quales pul-  
Aestas quales sus faciant 222  
pulsus generet. 200 αὐτοσταχύς 33  
æstatum diuersarū di- anni partes Medicis  
uersi pulsus 196 quomodo metien-  
αγριανία 345 dæ 202.203.263  
αγρυπνηνόμενα ibid. ανωμαλία 202  
amor quid 222 αἴσθησις 265  
amoris pulsus qualis. αὐτιβατικὴ πληγὴ 110  
ibid. & 223.224 anxietas 265  
amoris sedes 222 αἰνομάς ibid.  
anasarcæ pulsus 267. applicatio manus in  
269 pulsib. cognoscen-  
Andreas comes de dis qualis esse de-  
Gorca 87.310 beat 80.inde. 102  
Andreas Lacuna no- apocopa 249  
tatus 62 ἀρχὰ 253  
ænginæ agentis animæ Arculanus notatus.  
hominis pulsus qua 246  
lis 258 ariditas 237  
ænginæ pulsus 256 arteriæ figura. 6.93.95  
Anglicus sudor 336 arteriæ quomodo fri-  
animæ accidentia. 219 gidae fiant 324  
animal calidius bifra- arteriam uerè distendi-  
riam fieri 215 74  
animi perturbationes arteriarum uis expul-  
plures simul com- trix duplex 351  
arrhyth-

I N D E X.

arrhythmum	19	ror	247
eius diuisio	ibid.	bilis cur in uentriculū	
ascites, eiusq; pulsus.		non influat	624
267.269		bilioſarum febriū pul-	
æowuatoſ duwāuer	271.	sus	333
337		bis feriēs à bis pulsan-	
asphyxia	125.223	te quomodo diuer-	
uerā, apparens	157.	sus	39
318			

C

asthma	260	Cacoethes	358
ataxia	317	caloris diminutio quā-	
ataxiā firmas causas		ta sit, & unde cognoscenda	285
non habere	316	caloris innati duo mo-	
auctus, auctior, au-		tus	207
ctissimus usus quid		caprizans pulsus	320
282		eius causæ	182
Auerroes notatus.	181	lucpidiwyus	265
Auicenna notatus.	32.	cari, seu subeth causa,	
112.210.353		233	
autumnus cur langui-		caros	208
dos pulsus faciat.		catalepsis	252
200.202		catocha	ibid.
B		cauda soricina	28
Balnea calida, mode-		causæ procatarcticæ.	
rata, modica, &c.		295	
quales pulsus facie-		causarum præter natu-	
ant	212.213	ram effectus	227
balnearū cōmoda	213	causarum secundaria-	
βαρωμulū duwāuer	296	rum ordo	190
Bernardi Gordonij er		B cause	

I N D E X.

- causæ synecticæ 127.  
 130 139.141  
 cerebri, membranarū  
     eius, & temporum  
     muscularum diuer-  
         si pulsus 345  
     cibi diuersitatē diuer-  
         sos pulsus gignere  
     214  
     cibi moderati cōmo-  
         da, immoderati in-  
         commoda 215  
     circulus distensionis.  
     93  
     lavoridus pulsus ib.  
     lunatū tūs diagōnūs ib.  
     noxiæ 264  
     coma 345. 297. 608  
     comatici 253  
     cōmotionis usus 210  
     compositi pulsus qui  
         8.60  
     compressio seu astri-  
         ctio unde 154.155  
     concausæ 147  
     congelatio 252. 199  
     constitutio quid. 61  
     cōtractionis usus. 152  
     cōuulsionis causa. 249  
     cōuulsionis pulsus, 183  
     320  
     conuulsorum pulsus  
     252  
     cor 6  
     cor calidū ratione spī  
         rituū uel humorū  
         quales pulsus &  
         morbos generet.  
     324  
     cor frigidum 327  
     cor inæquali tēperie  
         affectum. 927 sic  
         cius 328  
     cordis & arteriarum  
         qualis in sanis mo-  
         tus 58  
     cordis & arteriarum  
         communes actio-  
         nes, & propriæ 5  
     cordis affectus 322.  
     323  
     cordis morsus 265  
     corde affecto qui fiāt  
         pulsus 322  
     corporis cuiuslibet di-  
         mensiones tres 9  
     corpora citò resoluta,  
         citò etiam refici. 319  
     corpora quo tēpore  
         saluberrima 200  
     creber

I N D E X.

creber pulsus.	102. 289	digitis inter tangendū
crisis bonæ indicium,		ægroto quomodo
aut malæ	34. 9	retinendi 82
crisis futuræ signa.	348	digitorum extrema ar-
crisium ex pulsibus co-		teriæ perperam ap-
gnitio	ib.	plicari ibid.
D		digitorū pulpas mol-
Debilis pulsus	107	les esse debere ib.
deficiēs pulsus.	31. 125	distensio quid. 73 al-
310		ta, lata, humili, an-
delirium	345	gusta 94
destillationes in uen-		distensionis usus 152
trem superiorem		doloris pulsus 229
intra xx dies suppu-		duræ arteriæ quales
rari	302	109 E
diálepsim	16	Ecrhythmus, eiusq;
diálepsim hæc invocavit		diuisio 20. 21
uid	33	elementa 7
diaphragma.	248. ma-	eminuli pulsus 50
lē affectum, quales		expergefactio duplex
pulsus faciat	343	288. 209
diastoles usus.	6. tem-	expergiscientium pul-
pus	15	sus quales 208
dicrotus.	33. 39. 41. 312	F
dicroti consideratio		Facultas imbecilla qui-
cur difficilis & am-		bus de causis fiat
bigua	39	156. 159.
dicrotorum pulsuum		facultatē nimis debilē
causæ.	166. 169. dif-	nō admittere motus
ferentiaæ	40	celeritatem 274
		B z facul-

I N D E X.

- facultatum animal gu  
bernantium sympha  
thia 205  
fastidium 265  
fatuitas 345  
febris hectica 59  
febres in genere tripli  
ces 329  
febres primarie cordis  
affectiones 329  
febres caliditatis sub-  
iecto distingui. 329  
februm pestentialium  
differentiae 338  
pulsus quales 339  
febrile symptomata 250  
formicatas pulsus 53.319  
formicantem & uermi-  
culantem pulsum in  
se mutuo sappius co-  
uerti 53  
formicantem, ut sem-  
per uermiculas pre-  
cedat, cur non sit ne-  
cessarium 181
- G
- Galenus an primus o-  
mnium contractio-  
nem pulsus cognos-  
tit 77
- Galenus quir durum &  
mollem pulsum si-  
gnis quibusdam co-  
gnoscere doceat 109  
Galenus erroris sui de-  
dicroto pulsu pali-  
nodiam cecinit 44  
Galeni, Auicenna, Pau-  
li Aeginet, & Auer-  
rois, circa dicrotos  
pulsus errores 42  
Galeni de pulsibus do-  
ctrina cur obscura.  
72  
Galeni de pulsibus li-  
bri quales 2.24  
Galeni interpres lati-  
nus notatus 178.  
211.213. 221.244.265  
Galeni 8. libros Cõm.  
super artem Sphy-  
gmicam Archige-  
nis, item super Era-  
fistratum & Hero-  
philum, perisse 3  
Galeni sententia, qua  
medio autumno a-  
scribit pulsus ueris  
medij, reiecta 202  
Galenus ad libros suos  
de pul-

I N D E X.

- de pulsibus, pluri-  
ma ex Archigene  
decerpsisse 266
- Galenum obscurè ac  
negligenter signifi-  
cationes ordinis &  
ataxię declarasse 313
- Galenum primū om-  
nium cōtractionis  
tempus animaduer-  
tisse, falsum 16
- Galenum quantū au-  
tor obseruet 134
- Galenum ferrantē pul-  
sum in lib. de Diffi-  
rentijs pulsū omi-  
nissē 56
- Galenū Sphygmicæ  
artis causa apud Ro-  
manos tam celebre  
nomen consecutum  
esse 3
- gracilis pulsus causæ,  
150
- graciliū & crassorum  
uenæ, arteriæ, cum  
ossibus quales 195
- gracilem pulsū plus  
ostendere uehemen-  
tiæ, q̄ habere 194
- gracilitatis causæ, ibi.  
grossum ac tenuē pul-  
sum cur tactu non  
sentiamus 113
- H
- Halyce 265
- hecticus pulsus 59.  
236.322 eius cau-  
se 188
- hecticarū febrium si-  
gna 338 pulsus  
quales 329
- hemiola 21
- hemitritæi 52
- hepar affectū quales  
faciat pulsus 343
- heterorhythmus 20
- heterosphyxia 32
- Hippocratis & Galeni  
de prognosticis te-  
stimonia 279.280
- humilis pulsus causæ.  
148
- humiles pulsus cum la-  
titudine 277
- humerales febres om-  
nes tres causas synec-  
ticas immutare.330
- hydropis singulæ spe-  
cies unde nascan-
- B 3 tur

# I N D E X

- |   |  |
|---|--|
| tur 268<br>in Hydrope qmodo<br>flatuſ aut humor di<br>noscatur 123<br>hydropicorū pulsus 267<br>hyems quales pulsus<br>generet 200  | tica, cōgeſtitia, colle<br>cticia quæ. ibid. 159<br>160. 304<br>inæqualitatis singula<br>ris duo genera. 161.<br>differentiæ. 33, cau<br>ſæ 172<br>inæqualitatis pulsus.<br>46. 47. 48                             |
| <b>I</b><br>Iacobi Brosouij pul<br>sus 88<br>ictus, <i>wlyſis</i> ib.<br>ictum pulsus quid me<br>dici uocent 73<br>impar citatus pulsus<br>163. 330   | inæqualitatem sensibi<br>lem nunquam ab u<br>ſu immutato profi<br>cisci 154<br>inæqualitates simpli<br>ces uarijs modis cō<br>plicari 51<br>inæqualitates singula<br>res quid significet<br>312                    |
| impetigo 270<br>inæquales pulsus quo<br>modo percipiendi<br>123. unde fiant 23,<br>inæqualitas à diuerſi<br>tate quo pacto diffe<br>rat 202<br>inæqualitas in situ ar<br>teriae 50<br>inæqualitas & ordinis<br>perturbatio quomo<br>do cognoscēda 120 | inæqualitates systema<br>tica quid significet<br>304<br>incōpressæ annotatio<br>nes 336<br>incorporeæ ſeu ſpiritu<br>les efficiaciæ 271<br>inflamatio phlegma<br>tica cur mēbranas<br>cerebri raro afficiat<br>244 |
|   | inflammina   |

I N D E X.

- |                        |                      |                        |
|------------------------|----------------------|------------------------|
| inflammatio siue phle- | do cœperit           | 3                      |
| gmone, quomodo         | ira 219              | eius pulsus.           |
| accipiatur             | ibidem               |                        |
| inflammationis pul-    | iudicium de salute & |                        |
| sus                    | ib.                  | morte ægroti 352       |
| inquietudo             | 265                  | iuenum pulsus 196.     |
| insomnietas            | 345                  | 198                    |
| instans tempus         | 25                   |                        |
| instrumentum ineptū    |                      | L                      |
| quomodo fiat           | 159                  | Labores moderati       |
| instrumentum molle,    |                      | quales pulsus exci-    |
| qualē pulsum edat.     |                      | tent 200 item im-      |
| 130 quibus de cau-     |                      | moderati ibid.         |
| sis ineptum redda-     |                      | & summopere im-        |
| tur                    | 154                  | modici 211             |
| instrumenti uitia.     | 304                  | languidus pulsus 294   |
| intemperies            | 270                  | lætitiae immensæ no-   |
| intercurrēs pulsus.    | 311                  | xa 220                 |
| intermittentem à desfi |                      | lati pulsus causa 149. |
| ciente differre        | 31                   | 277 (31)               |
| intermittentes pulsus  |                      | Leonardi Fuciſ error   |
| 33.308.312             |                      | lethargi causa 233     |
| interuallum            | 16                   | lethargicorum pul-     |
| Ioannis Arculani in-   |                      | sus 243                |
| terpretatio            | 245                  | lethargicis & peri-    |
| Ioannes Starchouius.   |                      | pneumonicis com-       |
| 83                     |                      | munes & pulsus &       |
| Josephus Struthius ar- |                      | causæ 243              |
| tem Sphygmicā mo-      | lichen               | 270                    |
| liri & extruere quan-  | Lucas comes de Gor-  |                        |
|                        | ca                   | 310                    |

I N D E X.

- |   |       |   |
|---|-------|---|
| Lumbrici terræ  | 53    | marasmi species ibid,   |
| λυμπελην θύματος  | 296   | marasmum quæ intro<br>ducant 239  |
| M   |       |   |
| Macies  | 237   | marasmi syncoposi. i.e.<br>bidem  |
| magnam esse arteriā,<br>& magnam arteriæ<br>distensionem, diffe<br>runt | 197   | marasmorū & phthisi<br>sis pulsus 236   |
| magnitudo abscondi<br>ta  | 285   | marasmorum omniū<br>cōmunes notæ. 238   |
| magnitudo cur mode<br>rata  | 132   | marasmos omnes ha<br>bere hecticum pul<br>sum & durum 240   |
| magnitudo edita seu<br>apparens, φανόμενος                              | 284   | marcor 237  |
| magnitudo pulsus, q<br>momentanea, quæ<br>itē permanens. 284            |       | medici prima in dino<br>scendis pulsib. pro<br>gymnastata 83  |
| magnus pulsus   | 92    | medicos & philoso<br>phos negligēter ha<br>ctenus pulsuum ra<br>tionē trādidisse, un<br>de colligi possit 4 |
| quib. familiaris. 281   |       | medicis an ea opificia<br>exercenda, quibus   |
| mali pulsus qui   | 316   | callus obducitur di<br>gitis 83   |
| μαλάσσηροι  | 82    | medius pulsus quid,<br>105, 107, 198, 294   |
| manus egroti ad natu<br>ralem figurā com<br>poienda                     | ibid. | melancholicarum fe<br>brium pulsus qua<br>les 333   |
| manus pulsuum deli<br>neatio  | 116   | mem94   |
| marasmus  | 237   |   |
| calidus seu exurens<br>& simplex  | ibid. |   |

I N D E X.

- |                                   |                     |   |
|-----------------------------------|---------------------|---|
| memoriæ artificiosæ               | ciant               | 347   |
| duo capita præcipua               | myuri 124<br>115 mi | anony-<br>12-   |
| mentagra                          | 270                 | myuri cestan tes dimi-                                |
| molle quid                        | 109                 | nui ante defectio-                                    |
| mollis pulsus                     | ibid.               | nem duplices 29                                       |
| unde, & quid signi                |                     | myuri deficiētes 29, 115                              |
| ficit                             | 297                 | myuri in uno pulsu 49                                 |
| molles arteriæ                    | 109                 | in utraq; parte 50                                    |
| morbus Gallicus unde              | 271                 | reciproci 24, 29                                      |
| morbus Neapolitanus               | 270                 | myuri singulares 312                                  |
| morbi salubres q                  | 356                 | myurorum alterū gen-                                  |
| morbi status                      | 360                 | nus, quod Auicenna posuit, cur ueteres neglexerint 32 |
| morborum discriminatio            |                     | myurorum differen-                                    |
| 355 decem testes                  | ibid.               | tiae 29   |
| morborum tempora                  |                     | causæ 176, 177  |
| quatuor                           | 359                 | <b>N</b>  |
| mordicatio, siue morbus stomachi  | 265                 | Necessitatis defectum crebritate suppleri.            |
| μερία                             | 345                 | 192   |
| motus quantus, tantum tempus      | 99                  | υοσθὴ ἀπόηρισις 72                                    |
| motus, ἡγά Aristoteli.            |                     |   |
| musculorum abdominis inflammatio- |                     |   |
| quales pulsus fa-                 | 313                 |   |

B s ὁρμ

I N D E X.

- |                                |       |                           |
|--------------------------------|-------|---------------------------|
| <i>Agus</i>                    | 295   | discernendus ibid.        |
| <i>orthopnea</i>               | 259   | quibus familiaris,        |
| eius pulsus                    | ibid. | 284 & quæ signi           |
| P                              |       | ficer ibid.               |
| Palpitantis ac tremen-         |       | pathema uehementis        |
| tis pulsus causæ.              |       | pulsus 110                |
| 185                            |       | duri pulsus ibid.         |
| palpitates pulsus quid         | 321   | <i>πάθη τοῦ Ψυχῆς</i> 219 |
| palpitatio 185, 187            |       | Paulus Aegineta no-       |
| palpitatio & tremor            |       | tatus 16, 123, 149        |
| motus diuersi à pul-           |       | Pauli Aeginetæ & Le-      |
| su 59, 186                     |       | onardi Fuchsij defi-      |
| palpitationem & tre-           |       | nitio suffocationis       |
| morem cordis pro               |       | uterinæ improbata.        |
| uno & eodem affe-              |       | 262                       |
| ctu accipientes, tur-          |       | Polyxena Struthij u-      |
| piter errare 186               |       | xor 321                   |
| paralyticorum, epile-          |       | peripneumonia, eius:      |
| pticorū, & apople-             |       | que pulsus 241            |
| cticorū pulsus. 254            |       | perturbationes animi      |
| <i>παραφροσίνη</i> 345         |       | quos faciant pul-         |
| pararhythmus 19                |       | sus 219                   |
| <i>παρεπιπτήσις σφυγμὸς</i> 41 |       | peste affecti pulsus.     |
| partes aliæ corporis,          |       | 339                       |
| præter cor affectæ             |       | pestilentium febrium      |
| quos faciant pul-              |       | effectus 337              |
| sus 340                        |       | Petri Conarij pulsus.     |
| parvus pulsus 290              |       | 88                        |
| & crebro quomodo               |       | philosophiæ pars pre-     |
|                                |       | stantissima quæ 1         |
|                                |       | phile-                    |

I N D E X.

- |                       |                               |
|-----------------------|-------------------------------|
| phlegmaticarum fe-    | ctuū rationē quos             |
| brium pulsus          | faciat pulsus 342             |
| phrenitis quid        | pulsus 15                     |
| phrenitis lethargica. | pulsus arythmus 19            |
| 251                   | pulsus cęgroti natura-        |
| phreneticorū pulsus.  | lis ante ægritudinē           |
| 248                   | cognoscendus 84.              |
| phthisicorum pulsus.  | & quomodo 85                  |
| phymata               | pulsus æqualiter fieri        |
| pia mater             | cur dicantur 29               |
| πήλιοις               | pulsus æqualis abso-          |
| pleuriticorum pulsus. | lute seu simpliciter          |
| 232, 233              | qui 12                        |
| πολλαὶσι              | pulsus inæquales 12.          |
| præfocationis causa.  | 29 anonymi unde,              |
| 357                   | 307                           |
| prognosis, prognosti  | pulsus bis pulsantes.         |
| ca                    | 33                            |
| prognosticis ueterum  | pulsus caprizans, <i>dogo</i> |
| addenda esse præce    | <i>nadiswv</i> 34.55          |
| pta de pulsib.        | pulsus causæ 5.6              |
| proportio             | pulsus celer, tardus ac       |
| proprij pulsus qui.   | moderatus qui à               |
| prouidentia           | Galeno definiatur             |
| prouidentiæ doctrina  | 100 eorumq; defi              |
| duplex                | nitionum interpre             |
| puerorum pulsus       | tatio 101                     |
| 196, 198              | pulsus celer & tardus         |
| pulmo                 | an solo tempore me            |
| pu' mo secundum affe  | tiendus 99                    |
|                       | pulsus                        |

# I N D E X.

- pulsus celeres ex imbe  
     cilla facultate nun-  
     quam fieri      261  
 pulsus celeritas ex usu  
     aucto cur nūquam  
     sola reperiatur. 287  
 pulsus complicatae in-  
     æqualitatis      317  
 pulsus creber'ne an ra-  
     rus in morbis dete-  
     rior      292  
 pulsus creber,rarus &  
     moderatus      101  
 pulsus cuiuslibet tem-  
     pora quatuor      15  
 pulsus decurtatus Grę-  
     cis μύσης quur di-  
     ctus      28  
 pulsus deficiens      31  
     intercidēs huic con-  
         trarius      ibid.  
 pulsus durus , mollis,  
     108  
 pulsus eorū qui medi-  
     camentū catharcti-  
     con assumpserunt.  
     275  
 pulsus eurythmus , &  
     æruntο      19  
 pulsus in febrib. q. 329  
 pulsus impar citatus 33  
 pulsus inutiles      9  
 pulsus languidus , de-  
     bilis, remissus, reso-  
     lutus, imbecillis. 105  
 pulsus magnitudinem  
     & paruitatem bifa-  
     riam accipi      89  
 pulsus mediij, seu me-  
     diocres qui      14  
 pulsus myuri bifariam  
     diuiduntur      29  
 pulsus ordinati, inor-  
     dinati      13  
 pulsus paruuſ      10  
     plenus & uacuus. 112  
 pulsus quadratus, seu  
     eucratos quis      11  
 pulsus qualitates      25  
 pulsus uera definitio,  
     ac eius interpreta-  
     tio      4.5  
 pulsus simplices ex cō-  
     positis tantum co-  
     gnosci      7  
 pulsus uehemēs quid,  
     eiusque tres differen-  
     tiæ      105,107  
 pulsus undosus, luvua-  
     zidus      52  
 pulsuum

## INDEX.

pulsuum primi gene- R  
ris differentiæ 89, 281 Raritas & crebritas  
secundi generis 96. duplex 102, 104  
286 tertij 101 quar rarus pulsus unde fiat  
ti 105, 293 quinti 102, 290  
108, 297 refrigerantia unde co  
pulsuum differētiæ quo gnoscenda 285  
pacto memoria ar- repletio unde 155  
tificiosa tenendæ. 115 res naturales 9, 127  
pulsuum diuisio 7 indifferentes, & con  
pulsuum relatiōes ibid. tra naturam ibid.  
pulsuum, secundū qua rerum calidarum acce  
litatem uirtutis, ty- ptio 283  
pus 107 rhythmus equalis. 302  
pulsuum simplicium rhythmus duplex 26  
differentiæ 9 gene rhythmī æqualitatis  
ra 7, 111 magnalatudo 17  
& cur 18

## Q

Quadratū corpus 84 rhythmī pares seu æ-  
qualitatis motus spe- quales moderati. 152  
cies tres 7 item rhythmī puerorū, iu-  
distensionis ibid. uenum & senum 19  
quies 101 uera, appa- rhythmī seu eurhyth-  
rens 79 infera 80 mi schema 23  
quies in pulsu duplex. rhythmorum differen-  
tiae 26, 300  
quies quando sentia- rhythmos quanti fece  
tur 79 quomodo rit Galenus 27  
pars pulsus. 42 (101 S  
quietem tactu percipi Saltus 25  
sanitas


## I N D E X.

sanitas unde	25	sphygmicæ artis auto-
Scabies Hispanica	270	res præcipui. 2 uti-
Schasci histrionis pul-		litas atq; præstantia
sus	87	3 diuilio
secundariarum causa-		sphygmos 1. 4 (337
rum proprietas	128	spirituales facultates.
senum pulsus 55. 196.		stomachi acceptio 264
198. item rhythmus	18	stomachici qui. ibid.
ferræs pulsus	182. 320	eorum pulsus 263
siccitas præter natu-		strepens pulsus 60. 322
ram	299	subeth 208. 251
siccitati familiaris gra-		suffocatio ex utero.
cilitas atq; duricies		262. eiusq; pulsus.
194		ibid.
solis ad cor humanū		superpartialis propor-
collatio	1	tio 21
soluta cōtinuitas	270	suppuratio 235
somnus mortis ima-		syncopa cur pleureti-
go	245	cis accidat 233
somnus quos faciat		systematica inæquali-
pulsus	204	tas 304. eius cau-
somnus salubris	207	sæ 154. 305
sopor, soporosi	253. 297. 608	systole 331. eius tem-
spasmosus & uibratus		pus 15
pulsus	56	systoles unica tantum
sphygmica ars	1	utilitas 6
cur tanto tempore		synæcticarum causa-
exoleuerit 61 qd,		rum quæ uis 128
& unde dicta	1	T
		Tabes 237
		tactus

# I N D E X.

cæctus	73	neret	200
tempus primum	22	uermiculās pulsūs	318
tempus quid	99	uesicæ & uteri substan-	
tensi uel contorti puls-		tia	345
sus	50	uibrati & conuulsuī	
tensionē quæ faciant,	299	pulsus	57
thorax secundum affe-		uibrati pulsus unde	
ctū rationē quos		causentur	209
faciat pulsus	342	uigilans sopor cū deli-	
timoris naturalis , &		rio	345
culpe, qualis pulsus	219.221.225	uini & ceruisiae pulsus	
tunicæ testiculorū in-		217.218	
flāmatæ pulsus	347	uiri cur maiores pul-	
turgidus pulsus	150	sus habeant quām	
tympanitis	270	feminae	190
V		uirtus quo pacto irri-	
Vellicatio stomachi,	265	tetur	219
uenereorū & enacua-		uirtus unita fortior	q
tionū pulsus	225	distracta	156
uētriculi intemperies		uitalis facultas	6
quales faciat pulsus,	343	undosus pulsus	52.53.
uer quales pulsus ge-		249.317.318	
		usus auctus	130
		usus quid	128
		uteri int̄cperies quos	
		faciat pulsus	344

F I N I S.



A CONFESSION OF FAITH  
IN THE LUTHERAN CHURCH

# JOSEPHVS STRVTHVS

CANDIDO LCTC

Habes hic, candide Lector, constitutionem omnium differentiarum pulsus, secundum eam methodum quam libri  
qui, quot, & quo ordine omnes pulsus constent) p̄ oculis habueris, facili negotio singulari recipies,  
studiosis medicis, non arrogantibus, confidentiam apud homines, gloriam copes fac

Pulsus alij sunt

Simplices, quorum genera prima sunt quinq;

Quantitas distensionis, cuius species sunt	{	Mediocris
Qualitas motus, cuius species sunt,		Celer
Tardus		Mediocris
Quantitas temporis quietis, cuius species sunt,		Tardus
Qualitas uirtutis: eius species sunt,		Velemens
Qualitas arteriae: eius species sunt,		Meiocris
		Delis
		Melis
		Meiocris
		Durus

Compositi:

Magnus	Celer	Creber	Vehemens	Mollis
Mediocris	Mediocris	Mediocris	Mediocris	Mediocris
Paruus	Tardus	Rarus	Debilis	Duri
Magnus	Mediocris	Mediocris	Mediocris	Medi
Magnus	Tardus	Rarus	Debilis	Duru
Mediocris	Mediocris	Mediocris	Vehemens	Medi
Mediocris	Celer	Creber	Vehemens	Mollis
Mediocris	Tardus	Rarus	Debilis	Duru
Paruus	Celer	Creber	Vehemens	Mollis
Paruus	Mediocris	Mediocris	Mediocris	Medi
Magnus	Celer	Mediocris	Mediocris	Medi
Magnus	Celer	Rarus	Debilis	Duru
Mediocris	Mediocris	Creber	Vehemens	Mollis
Mediocris	Mediocris	Rarus	Debilis	Duru
Paruus	Tardus	Creber	Vehemens	Mollis
Paruus	Tardus	Mediocris	Mediocris	Medi
Mediocris	Mediocris	Mediocris	Debilis	Duru

Celer	Creber	Vehemens	Mollis
Mediocris	Mediocris	Mediocris	Mediocris
Tardus	Rarus	Debilis	Duri
Mediocris	Mediocris	Mediocris	Medi
Tardus	Rarus	Debilis	Duru
Mediocris	Mediocris	Vehemens	Medi
Celer	Creber	Vehemens	Mollis
Tardus	Rarus	Debilis	Duru
Celer	Creber	Vehemens	Mollis
Mediocris	Mediocris	Mediocris	Medi
Celer	Rarus	Debilis	Duru
Mediocris	Mediocris	Vehemens	Mollis
Mediocris	Mediocris	Debilis	Duru
Paruus	Tardus	Creber	Vehemens
Paruus	Tardus	Mediocris	Mediocris
Mediocris	Mediocris	Mediocris	Debilis

Creber	Vehemens	Mollis
Mediocris	Mediocris	Mediocris
Rarus	Debilis	Duri
Mediocris	Mediocris	Medi
Rarus	Debilis	Duru
Mediocris	Vehemens	Mollis
Mediocris	Debilis	Duru
Paruus	Creber	Vehemens
Paruus	Mediocris	Mediocris
Mediocris	Mediocris	Debilis

Aliæ sunt pulsuum relationes, quarum quinq; sunt genera:

Congesticia, seu systematica, seu collecticia, quæ duas habet differentias primas. Nam alia est

Fiens æqualiter, æquale, quæ cit myuros, qui sunt Nam

Quintum, Inæqualitas aut

Fiens inæqualiter, inæqualiter, inæqua-  
ma. Alij enim magniæ inæqualiter,  
& raritate, alij molliæ inæqualiter,

Singularis, id est, in uno pul-  
su. Græci dicunt λαχεῖν οὐκ εὐ-  
ποτέλει, quæ secundum celerita-  
tem & tarditatem fit aut

In una parte ar-  
teriae, sed aut

Motu equante,  
quiescentiæ interie-  
riorib; & exteriorib;

Motu tenuente, brac-  
rum extremitatib;

Pluribus in partibus arteriae, sed

Quot sunt differentiæ inæqualitatis singularium in celeritate & tarditate, tot etiam sunt in alio genere uelamentia  
huius generis inæqualitas esse non potest. Idem intelligas de quarto genere, magnitudinis scilicet & paruitatis, in quo  
quinto etiam genere, raritatis & crebritatis, inæqualitas sœpe fit, singularis & congesticia. Lege caput 15. arts Sphygm

Vnde decim sunt pulsus, nomina habentes propria, ex diuersis inæqualitatibus compoti; Undosus, uermiculans, form

# S P O S N A N I E N S I S

T O R I S.

libro primo artis Sphygmicae sequuti sumus. Quod si hanc tabulam (in qua commostratur, quae diximus in arte nostra Sphygmica, opere novo, nunquam antea uiso: quod s facile paretur potest. Vale. Posnaniæ, ex ædibus nostris.

Magnus	1	In hoc comprehenditur altus, latus, longus.
Mediocris	2	
Parvus	3	
cris	4	
	5	
Creber	6	
Mediocris	7	
Rarus	8	
ens	9	
cris	10	
	11	Quindecim tantum sunt simplicium pulsuum differentiae, quas in
	12	tabula uides. Pulsus enim alijs simplices, utpote frigidus, calidus, plen-
	13	nus, uacuus, tenuis, grossus, leuis, grauis, ad medicu non pertinent.
	14	
	15	

is	1	
is	2	
is	3	
is	4	
is	5	
is	6	Unguis, seu temperatus, qui est mensura aliorum omnium.
is	7	
is	8	
is	9	
is	10	
is	11	
is	12	
is	13	
is	14	
is	15	
is	16	
is	17	Varia est & diuersa compositorum pulsuum connexio, iuxta diuersas & uarias sim-
ris		plicium complicationes. Sunt tamen quadam compositiones asyntactæ, id est, quæ
		consistere non possunt: de quibus lib. 1. artis Sphygmicae, cap. 6.

septimum.	Non cessant diminui usq; ad deflectionem, & uocantur myuri deficientes.
quæ fa-	Persueantes in eadem paruitate, ad quam decide-
plices, Nam alijs	runt: caent uero nomine proprio.
Cessant diminui ante defe-	Pristinam,
ctionem: quorum alijs sunt	Non persuerantes, sed denuo au-
	gentur, & uocatur myuri reciproci,
	qui redunt ad magnitudinem aut
	Maiorem,
	Minorem.

ut yivomel, quæ habet classes diuersas, secundum diuersa genera pri-	Intermittentem, qui Græcis
dine inæqualitatem efficiunt, alijs celeritate & tarditate, alijs crebritate	dicitur Αιλαπτον.
& duritate, alijs uehemētia & debilitate: sed sunt anonymi omnes præter	Intercurrentem, Græcis παραγόμενον.
	Deficientem, οὐλάπτων.
	Deficientem reciprocū, Græcis οὐλαπτων πάλεν Αρομέν.

inuante, seu continuo, quum nulla	Fientes æqualiter, quorum sunt manifestæ differentiæ sex. Lege
am interfecat. Hæc gignit pulsus axis	caput 13.
et, impares citatos: quorum alijs sunt	Fientes inæqualiter: quorum differentiæ sunt uel nouem, uel
	uigintiseptem, secundum numerum partium.
int, παραφραστη: quæ inæqualitas facit pulsus dicrotos, quo-	Perfectam,
nt differentiæ. Nam excipit contractio distensionem aut	Imperfectam,
	Fientem.

Aequaliter, cuius sunt sex differentiæ. Lege cap. 15.	
Continuo	Inæqualiter, cuius sunt differentiæ uel nouem, uel uigintisepte, uel octo-
	gintauna, secundum numerum partium.
Interrupto. Huius inæqualitatis quatuor sunt primæ species, quarum singulæ multo	
plures gignunt. Lege finem capit. 15.	

species & debilitatis, tot etiam sunt in genere mollitiei & duritiei. hoc excepto, quod in una parte arteriæ	Perfectam,
in quo sunt & myuri in uno pulsu: & ἀδινησις οὐκεπονησις, id est, eminuli & prominuli pulsus. In	Imperfectam,
Sphygmicae. Præter has uero inæqualitates omnes, adhuc reperitur una, quæ sit in situ arteriæ, quæ facit	Fientem.
, formicans, caprizans, serrans, spasmus, vibratus, tremulus, palpitanus, hecticus, strepens,	

180 dollars at par

te

Leipzig 1868

4.

Oster  
Room  
592774s  
1555  
#14310724

